ORMONIVS:

Siue,

ILLVSTRISSIMI HEROIS AC DOMINI, D. THOMÆ BVTLERI, *Ormoniæ & Osoriæ* Comitis, Viscomitis de *Thurles*, Baronis de *Arckelo*, Comitatus Palatini *Tiperariæ* Domini, regni *Hyberniæ* Archithesaurarij, *Illustrissimi periscelidos ordinis Equitis, & regiæ* Maiestati in *Hybernia* sacrioribus à Consilijs prosapia, laborumq; præcipuorum ab eodem *pro Patria & Principe susceptorum* commemoratio Heroico carmine conscripta.

A

DERMITIO MEARA Ormoniensi Hyberno, *& Insignissimæ* Oxoniensis *Academiæ quondam alumno.*

LONDINI:
Excudebat THOMAS SNODHAMVS.
1615.

ILLVSTRISSIMO HEROI AC DOMINO, D. THOMÆ BVTLERO, *Ormoniæ & Osoriæ* Comiti, Viscomiti de *Thurles*, Baroni de *Arcklo*, regni *Hyberniæ* Archithesaurario, Comitatus Tipperariæ Palatini Domino, Insignissimi perisceli dos ordinis *Equiti*, *& Regiæ Maiestati in* Hiberniæ sacrioribus a Consilijs.

ANni sunt iam quatuor, aut circiter, elapsi, *Illustrissime Heros*, ex quo, tacitus ego mecum, varios illos immanesq; casus, quibus *Tua Amplitudo* quinquaginta fere annorum spatio iactata est, in cohibendis, extinguendisq; rebellionibus omnibus Anglica in Sceptra, durante eo tempore excitatis, cum *Achillis*, *Hectoris*, *Scipionis*, aliorumq;

nonnullorum priscorum Heroum (quorum fama super æthera ascendit) laboribus comparans, tuosq; illis haudquaquam inferiores iudicans, non mediocrem me nostræ Reip. utilitatem allaturum rebar, si præcipua eorũ, quæ pro Patria & Principe fortiter pugnando, inuicto semper animo, inconcussaq; fide perpessus es, sacris Musarum pigmentis conspergerem, ut non solum in huius ætui publico conspectu illorum fulgor appareret, sed & omni etiam posteritati conspicienda paterent: ad militaris etenim gloriæ stimulos in heroicæ iuventutis animis excitandos, nihil tantum valet, quantum crebra & seria historiarum euolutio, illarumq; præcipue quæ clarissimorum Heroum immensos labores in tutanda patria fortiter exhaustos, & quam-multa vitæ pericula pro publica salute, insigniter inita, commemorant. Quamvis igitur arduum nimis, & meis viribus impar onus illud omnino metuerim, malui tamen quicquid ea in re præstitissem, *Momi* censuram, quantumvis grauem perpeti, quam tam opulento *Mauortiæ* virtutis gazophilacio nostram Rempublicam carere: Cumq; decus omne meum, meorumq;, quantulum cumq; sit, ab *Amplitudinis tuæ*, illustriumq; tuorum Maiorum benignitate acceptum, obliuisci nequirem, meum esse duxi, præclaras illas tuas laudes, quas admiranda virtute comparasti, æternæ consecrare memoriæ: nam licet ipsæ per se, omni externa ope denudatæ, perennitatem

ennitatem sibi polliceri videantur; ego tamen cum *Horatio* audaciter dicere non vereor:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachymabiles
Vrgentur, ignoti longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Rem ergo, etsi difficilem, aggressus sum, tandemq; vtcumq; absolui. Qui, qualesque, in patriam & Sceptra rebellantes, indefessis tuis laboribus suppressi, heroico carmine conscripsi, tuamq; prosapiam a primi, tua de stirpe, qui in Hyberniam est appulsus, auo ad temet, recta semper linea descendens, inserui: necnon maiorum tuorum honores & dignitates, resq; ab illis præclare gestas, (quantum eas ex regni annalibus colligere potui) breviter recensui. Omnia autem hactenus priuatim, & quasi in tenebris acta, nunc cum in lucem proditura sint, (typis.n. mandare decreui) vnicum adhuc restat, nimirum ut quo opus hoc *Liuoris* calumnias *Aristarchorumq;* sannas & obelos effugiat, illius patrocinium tuæ Amplitudini committam: facile etenim mihi persuadeo, quod quemadmodum in ijs, quæ hoc opusculo commemorantur, peragendis, nulla te unquam hostis facies, nulla pericula ab incæpto deterrere potuerint, ita & scripta nostra qualiacumq; sub tui fauoris umbra, & alis delitescentia, ab *Archylochorum* scommatis & ludi-

brijs tuta sint futura. Illa igitur, qua decet animi reuerentia & submissione, *Honori Tuo* patrocinanda offero, teq; simul exoro, ut patrocinium hoc in te suscipere non dedigneris, si non tui nominis & gloriæ, at Patriæ utilitatis ergo; cui ut te *Christus Optimus Maximus* quam diutissime incolumem seruet, & post huius vitæ cursum ad gaudia ducat æterna, diuinam Maiestatem quam suppliciter posco.

Tuæ Amplitudinis obseruantissimus

DERMITIVS MEARA.

Ad Lectorem.

CAndide Lector, quum historia veritatis sit testis, in qua nihil ficti, nihil fuci, nihil quod à vero, ne quidem in minimo, dissidet, contineri debet; miraberis fortasse, quid me huic meæ historiæ figmenta aliquo: poetica inseruisse impulerit. Mirari autem desines, tum si *Horatianum* illud memineris:

Et prodesse volunt & delectare Poetæ.

tum si scopum, quem ego, hoc opusculum contexturus, mihi proposui, penitus perspexeris: scopus enim ille duplex; primus *Ormonij* Comitis, (cui me meosq; omnes omnimode devinctos fateri oportet) famam omni posteritati gloriosam exhibere: alter iuuentutis animos ad res strenue & fortiter pro Patria & Principe gerendas excitare: primo historiæ ipsius narratio inseruit, secundo figmenta: eorum etenim omnium summa est, Reges, Deos esse terrenos, quibus ex diuino præcepto omnis obedientia debetur, ac proinde quicquid à Subditis pro Regia Maiestate præclare fit, haudquaquam id absq; cœlesti instinctu fieri existimandum: e contra vero qui nouarum rerum studiosi, seditiones & tumultus in Patriam, & Principem, excitant, eos Stygijs exagitari furijs minime dubitandum esse.

Quum igitur eiusmodi figmenta historiæ veritati nihil subtrahant, eumq;, quem iam recensui, usum præbeant, spero te humanissime Lector, nostros conatus æqui, bonique consulturum. *Vale.*

Tuus D, M.

Libri primi Argumentum.

ANno primo Mariæ, Wiettus, *Cantius Eques, rebellat; quâ de re cum apud* Iouem Parcæ *conquererentur, aientes adamantina tabularia, quæ rerum omnium fata continent, polliceri,* Mariam *quinquennio regnaturam, eiusq; Sorore* Elyzabetam *quadraginta quinq; per annos fere, ac tandem* potentissimum Regem IACOBVM *summa rerũ moderamina accepturos, eiusq; posteros perpetuo potituros imperio:* Iupiter *fata immota esse respondet, & Wiettum dignas audacia pœnas daturum pollicetur. Eius præterea iussu* Mercurius Anglas *in terras descendit, &* Ormoniæ Comiti, *Londini tunc residenti, proq; Regia Maiestate iamdiu pugnare exardenti, quamplures addit stimulos, præcipue maiores eius omnes in cœlo, inter lucentia Sydera ostendit, singulorumq; res præclarè, pro patria & fascibus gestas, recenset. Copias* Regina *colligit, quibus* Norfolciæ *Ducem &* Ormoniæ *Comitem imperatores præficit. Imperatores in Campo* Diui Iacobi *prope Londini mœnia, occidentem versus, hosti occurrunt, dumq; ibi* Ormonius Heros *milites in aciem componit, & nonnulla admiranda virtutis, futurorumq; honorum manifesta signa præbet,*

duo

duo quidam non obscuro loco nati, sed invidia commoti, Regia ex acie in urbem regrediuntur, coramq; Regina Ormonium *calumniantur. Interim pugna committitur, in qua* Wiettus *funditur & capitur, & unde* Hybernus *satrapas immortali cum laude & gloria* Reginam *petit.*

Libri secundi Argumentum.

Anno tertio Mariæ, Donaldus ô Bryen, Donati *aliàs* Donochi, *secundi* Thomoniæ *in* Hybernia *Comitis frater, cum iam quinquennio, post obitum prædicti Comitis,* Thomoniam *omnem occupasset, inde* Cornelio Bryen, *(qui quidem Comitis erat filius, & ab* Henrico *octavo* Baro *de* Ibercan, *necnon* Thomoniæ *hæres creatus) expulso, unicum castrum* (Dun-Imulmihil *vocant) quod eidem* Cornelio *a patria exulanti, a quibusdam valide defensabatur, longa obsidione premit. Obsessis* Ormonius *auxilio accurrit, hostemq; ab obsidio pellit. Paulo post* Thomam, *D.* Fitz-Walters, Reginæ *tunc in* Hybernia *Deputatum, in* Thomoniam Ormonius *accomitatur, ubi ambo prefatũ* Cornelium Thomoniæ Comitem *confirmarunt. Anno ultimo* Mariæ, Ormonius, *aliq; Proceres* Proregem *D.* Thomam Sussexiæ Comitem, *in Vltoniam accomitantur ad subingandum* Iohannem Onellum *rebellantem.*

Cum autem Prorex aliq; Nobiles castra metarentur apud Campanæ *villam,* (Hybernice baille in chluig)

locum

Argumenta.

Iocum circa nouem milliaria distantem Eoum versus a Dungennain *prima & præcipua* Tironiæ *sede*, Ormonius Concainam *vallem ac* Thuomæ *castrũ, arcẽ quã munitissimam, inter* Bannæ *fluminis caput, & Lacum* Echach *sitam petit: (ibi n.* Onellus *morabatur) unde ingenti cum præda, necnon hoste ter vna die fuso, regia ad castra regreditur. Intra autem biduum post, hostes iterũ petit, loca omnia, per quæ carpit iter, incendio depopulans; sed cum hostem in pugnam allicere nequiret, Prorege repetit, totusq́, regius exercitus dimittitur. Anno autem sequenti, qui fuit primus* Elizabetæ, Onellus *in* Scoticas *insulas, quas Hebridas vocant, nauigat, vnde cum tribus* Donaldiadis, Iacobo Donaldi, Somurlo *sæuo* Donaldi, *&* Alexandro Donaldi *comitatus, in Hyberniam breui post appellitur, bellumq́, denuo renouat. Illum vero* Ormonius Concaina *in* valle, *medijs in silvis fundit, immensaq́, strage afficit.*

Libri tertij Argumentum.

Anno Elizabethæ *secundo*, Donaldiadæ, Hebridũ *satrapæ ingenti cum classe Hyberniam petunt, multisq́, incommodis regia iterum Maiestatis subditos afficiunt, quos ad domandos Prorex* Sussexiæ *Comes, &* Thomas Ormoniæ *Comes, aliiq́, multi præterea Nobiles in* Vltoniam *signa mouent, cum autem reliquus omnis exercitus vna cum* Prorege *Carigfergum peterent*, Ormonius

nius *in Glinarmum sive armorum vallem, horrendas vastasq́; sylvas, in quibus bestis moratur, aquilas ducit, unde fuso, deuictoq́; hoste, & opima oneratus præda, ad* Pro-regem *reuertitur. Brevi post* Ormonius *in* Ricneam *insulã, quæ* Hebridas *ad occasum terminat, & cuius Sceptra* Somurlus flavus Donaldi *tenet, vela dat. Quam primum vero illuc appulsus, incolæ omnes ingentem in rupẽ intrinsecus horrendo & inexpugnabili antro effossam, quæ Dirgi cauerna vocatur, fugiunt, unde cum* Ormonius *illos in pugnam illectare non posset, quanquam id diu & frustra laborauerit, in Hyberniam multis cum spoliis retro vela dedit.*

Libri quarti Argumentum.

ORmonius è Ricnea Insula *reuersus Desmoniæ Comitem* Butleros *agros misere denastantẽ reperit, sibi etenim Desmonius vendicat Baroniam de Kilseghlan, Clonmelæ reditus, & alia nonnulla, quæ* Ormonij *pater* Iacobus Butlerus *in coniugis suæ* Iohannæ Iacobi, *Desmoniæ quondam Comitis filiæ, dotem accepit. Vinorum etiam vectigalia, (vulgo pricevine)* Ormoniæ *Comitibus ex veteri multorum regum dono, debita Desmonius per Momoniam, tum Occiduam, tum Australẽ, sibi colligit, ac detinet. Illum* Ormonius *ad singulare certamen provocat, quod cum ille non auderet, collatis signis prælia miscere inter utrumq́; convenit. Sed quamvis ambo Martis ad arenam conuenerint, absq́; tamen ulla sanguinis effusione*

lis

lis erat decisa: quippe Desmonius a regio senatu compellitur, omni suo titulo & clameo in illis, de quibus certabatur, renũciare. Anno sequenti Desmonius Deciam *rebellibus armis invadit, depraedaturq;. Illũ* Ormonius *apud Aghmaynam in pugnam compellit: ibi quadringenti* Geraldiadũm *interempti, ipseq; illorum dux, Desmonius graviter saucius capitur, & ab* Ormonio *in Angliam captivus mittitur. Anno* Eliz. 6. Iacobus Mauritij, *Desmonij Comitis compatruelis bellum grave in* Momonia *excitat, quẽ* Ormonius *heros quatuor continuis annis nostros atq; dies, absq; ulla fere intermissione, a monte in montem, & a sylua in syluam persequitur: ac tandem* Dunlogho, *munitissima Solani magni arce, & communi rebellantium asylo, expugnato & diruto, hostẽ toto au fugere regno cogit. Vix autem illo discesso, cum in* Thomonia Cornelius ô Bryen, Thomoniæ Comes *graves ciet motus, illum* Ormonius *in Galliam fugat. Paucis post annis* Mauritiades *apud Smerwickam in Hybernia cũ Itala classe appellitur: unde interiora regni petens, intra paucos dies post eius appulsum interficitur apud* Kelkugiam syluam *a* Theobaldo Burckæo *de* Castle-conel. *Eius tamen adventus* Iohannem Geraldi, *Desmonij Comitis fratrem ad rebellandum & ad* Dauillum, *magnae in* Momonia *authoritatis Anglum interficiendum illexit.* Malbius Connaciæ *rector Dauilli eadem in Desmonij agros ulciscitur. Desmonius rebellat. Illum* Ormonius *persequitur, intraq; quadriennium bello prorsus extincto, caput eius in Angliam mittit, anno* Eliz. 23.

Libri

Libri quinti Argumentum.

ANno El. 26. Somurlus Flavus Donaldi *ingentes monet tumultus in* Vltonia, *quos mira celeritate* Iohannes Perottus *Prorex, &* Thomas Ormoniæ Comes, *expugnata munitissima arce* Dunlius, *sedarunt.* Ormonius *in Angliam navigat, & illustrissimo perisceli-dos ordine insignitur. Interim* Maguir *in* Vltonia *rebellat, & paulo post* Tironiæ Comes; *hoc bello cũ regni status maximas in angustias perductus esset, Regina omnem rei gerendæ curã & molem* Ormonio Comiti *imponit, an. Dom. 1597. Ille circa ultimã Æstatem* Bernardum Fuscum, *præcipuum eo tempore Laginiæ rebellem interimit. Autumno incipiente,* Mariboræ *arcis custodibus auxilio accurrit,* Morosq; *omnes, cum multis aliis rebellibus obvios prælio habet apud* Aghduffe, *tum in progressu, tum in regressu, ingentiq; clade afficit. Hinc actutum Vltoniæ fines,* Ferneiam *invadit depopulaturq; : unde innumeris pæne hostibus* Killociam, *oppidum in* Momonia *iam obsessuris, &* Malam, Norisij, Momoniæ *præsidys donum, ubi ipse præses tunc morabatur, insasuris improvisus adest, & ab incepto deterret. Circa Ianuarij sequentis, initium, cum* Bingamus, *Connaciæ rector, quindecim peditum vexillis, & sex equitum turmis stipatus,* Mariboræ *arcis custodibus, fame perentibus auxilio accurrere non auderet,* Ormonius *septem duntaxat peditum maniplis, & centum accomitatus equis*

iter

iter illud intrepidus arripit, & tum in progressu apud Leim-in-eigh, *tum in regressu apud* Sradbaliam, *& in cænosissima, vastissimaq; palude, non ultra tria aut quatuor milliaria a* Caterlogh, *arctum versus, semota, omnes* Laginiæ *rebelles convenit, illorumq; maximã edit stragem. Sole post Arietem ingrediente* Mariboræ *arcem petens, cum* Moris, Brennis, Keuanis, Conoris, *innumerisq; alijs rebellibus, semel apud* Sradbaliam, *& bis apud* Monro *paludem in arenam descendit, illorumq; horrenda funera facit. Circa extrema eiusdem mensis* Ballinam, *vnum e Montgarret castris expugnat, ipsumq; positis armis, pacis iugum subire cogit. Cum per tres continuos sequentes annos, nullis neq; cœli, neq; Soli fatigatus incommodis, hostem omnem usq; & ubiq; persequeretur, fata nimis aspera regno, virtutiq; invida, illum luminibus orbant: exhinc solitos labores exercere nequijt, regni tamen anchora semper persistit, plusq; domi consilijs, quam alij foris armis Remp. adiuvat.*

ORMO-

ORMONIS

Liber primus.

Vos casus, quæ fata tulit, quibus artibus altum,
Conspicuumq; decus, nullis delebile monstris
Inuidiæ, & nullo annorum molimine *Thomas*,
Ormonie nactus Satrapas, *Manertius* Heros,
Vnigena Aonijs Dea quem nutriuit in antris,
Dicere fert animus: quantis heu viribus vsus?
Heu quam grande onus, & vix sustentabile nostra
Mens incircumspecta subit? quot saxa, quot undæ,
Immanes Scillæ, collatrantesq; Charybdes
Invictum iactare virum? quis talia fando
Sufficiat vates? Lux ó clarissima mundi,
Summe Theos, cæptis tu non finita potestas
Adsit, & ipse mei fœlix sis carminis Author.
Prima *Caledonijs* fuerant exercita campis
Arma viri, decies cum vix expleuerat annos

Ætatis

Ætatis binos: quantis tunc *Anglia* monstris
Occasura? quibus peritura tumultibus? heu quæ
Imperio ventura lues, pestisque, *Wietto*
Stemmate ab *Augusto* diuertere Sceptra parante?
Acrisioniadem prisci dixere *Tonantis*
Progeniem, stellasq; inter post fata coruscum
Inseruere polo, stricto quod fingitur ense,
In stupida humanas vertentem saxa figuras,
Gorgoneam truncatse feram: radiantibus alis
Bellerephronteus stellato quadrupes axe
Fulget, & æthereus donec torquebitur orbis
In gyrum, igniuomi memorabit funera monstri.
Talia si fictis debentur præmia, quæ te?
Quæve tuis meritis condigna Trophæa, stupende
Monstrorum domitor? scelerata *Medusa Wiettus*
Est, in cæca *Anglos* conuertens saxa nefandæ
Perfidiæ in fasces, *Augustaq;* Sceptra: trimembre
Est & portentum, diris e faucibus ignes
Seditionis agens, queis tota Britannia ferme
Accensa, in facinus iurat, contrariaq; arma
Carpit: da tanti primordia pandere prima
Musa mihi sceleris, totamq; recludere molem.

Rex immaturo Parcarum numine postquam
Occidit *Edwardus*, regnantum hoc nomine sextus
Inter Brutiadas, postquam Britannica Iura
Normannis cessere, Soror regalia Sceptra
Accipit, & sacram sacro Diademate frontem
Induitur, Regina potens celebrisq; *Maria*

Forma

Forma, opibus, regnis præclaro & ſtemate virgo,
Cuius quæſiuere torum, tædaſq; iugales
Terrarum quaſcunq; ſuis circumſonat undis
Immenſi rector pelagi, imperialibus omnes
Faſcibus inſignes, Hymenæo & fædere laxi.
Poſt alios (alijs quanquam non ſegnior ullis)
Magnus *Iberiacum* Princeps, cui prodiga ſeruit
India, & ignotus priſcis ditiſſimus auro
Orbis, & ardentes flammas imitante pyropo,
Mittit ad indomitos armis & Marte *Britannos*
Legatos, Auguſta ſibi connubia poſcens:
Impetratq;. Alacres ſeſe ad ſollennia ſacra
Expediunt *Angli*. Solus qua motus Erinni,
Aut quibus impulſus Furijs, ignoro, *Wiestus*,
Cantius immani paucis feritate ſecundus
Miles, ab his horret ſacris, eademq; morari
Sedulus aggreditur, ſed cum videt irrita nullo
Reddi, poſſe, modo, heu quam deteſtabile tentat:
Quos tribuere poli, diuûmq; immota voluntas,
Reginæ faſces, Auguſta inſignia regni
Eripere infeſtis armorum horroribus offert.
Quid fecere aliud, prima ſub origine mundi
Congeſtos quos fama refert ad Sydera montes
Erexiſſe, *Iouis* cœleſtia Sceptra paratos
Eripere, atq; ipſum furvo ſubmergere *Auerno*?
Vt ſata nocte caput veſanis cincta colubris
Alecto, irarum genitrix, cui triſtia cordi
Præliaſq; inſidiæ, & frandes, & iurgia, quondam

Iunonis iussu dirarum a sede sororum
Egressa est volucris, *Latyq*, micantia primum
Tecta adijt Regis; cursu tum præpete muros
Audacis petijt *Rutuli*, postrema furentûm
Castra *Phrygum*, quacunq; ibat fera semina belli
Plantans, anguicoma proiectis fronte capillis:
Non secus hic amens furibundi turbinis author
Huc illuc præceps, quacunq; Britannica cingit
Littora *Neptunus*, fertur, fatalia fundens
Toxica, tartareos belli motura tumultus.
Nec labor incassus: motu mortalia gaudent
Pectora, & in facinus semper mutabile vulgus.
Heu quam multa virûm scelerato millia tabo
Ebria, deponunt augustis debita sceptris
Obsequia, & subitis patriæ turbare quietem
Motibus exardent. Alijs spes impia lucri,
Prædarumq; : alijs scelerû mens conscia, summo
Cum legum terrore, faces, carcariaq; addunt:
Ipse quibus stimulis, aut qua ratione *Wiettus*
Percitus incertum: cæcane cupidine sceptri?
Aut an in *Hispanos* odijs, odijsve an in ipsam
Reginam? an fasces *Anglos* formidet ituros
Externam ad geniem, crudoq; id sistere ferro
Molitus: verum moti quæcunq; tumultus
Causa fuit princeps, patrium defendere honorē,
Armorum prætextus erat: *Roffensibus* ergo
Mœnibus, (hoc etenim furibundi cœtus asylum,
Primus & occursus malesani exercitus urbe

Hac

Hac factus) comitum temeraria corda *Wiettus*
His rapit in facinus dictis. Animosa iuventus,
In queis Brutigenûm priscæ virtutis imago
Vera nitet, cœlum hoc, & conscia sydera testor,
Me nec opes, nec sceptra mihi, nec vana petentē
Nomina, vel laudes, patriæ sed matris amore
Nativiq; soli pro libertate tuenda,
Has movisse faces, vos hæc & in arma vocasse.
Non ea vis animo, sacro ut Diademate dignum
Me rear, ô socij, nec tantus nominis ardor,
Ambitiove mihi, (procul hunc divina furorem
Numina diuertant:) non quas admouerat Orci
Fluminibus tellus fallaces, credite, tanti
Sunt mihi divitiæ, penetrare ut regia ferro
Pectora molirer: patriæ venerabile nomen
Et sanctum: patriam validis tutarier armis
Est mihi propositū: sic res sic tempora poscunt:
Bellica *Normanni* victoris origine cunctos
Cernere si a prima liceat, sua subdita nullis
Externis dare colla iugis didicere propago:
Immo vicinas soliti sunt subdere gentes
Omnes: hoc toties testari *Gallia* nostro
Marte subacta potest, mittensq; tributa quotannis
Regibus *Angligenis*: studio celeberrima belli
(*Inlicet æternum leges cultura *Britannas*) *Tmesis, pro licet in æternum.
Hoc *Hybernorum* resonanti terra boatu
Conclamat. Viguit virtus sic *Anglica* quondam.
Ast nunc quam turpis rebus mutatio nostris

Imminet ô ſuperi: in regnũ proh quæritur hæres
Externus. Regina ſuis miſerabile dictu
Connubijs, thalamiſq; parat dare ſceptra cruentis
Anglica Betigenis, nunquamq; edocta vereri
Ante alienigenas, *Anglorum* corda perenni
Tradere ſeruitio: naſcentem extinguite flammâ
O ſcelerum ultores: ſero medicina paratur,
Tempore cum longo creſcentes robora morbi
Accepere graues: pulchram per vulnera mortem
Quærite fœlices, veſtrumq; ad ſydera nomen
Mittite, vel tantam victuri avertite peſtem,
Et maculam patriæ. Præſtat perijſſe pudoris
Expertes, amplumq; umbras inviſere lætas
Elyſium, turpis quam fungi munere vitæ.
His furiata cohors imas acceaſa medullas,
In ſcelus extemplo conſpirant: cuncta furentes
Expediunt quæ bella petunt: mordacibus enſes
Cotibus exacuunt: nervis melioribus arcus
Tendunt: electis pharetras implere Sagittis
Cura erat: attritu ſplendorem lancea ſaxi
Accipit; auget eques ſtimulis calcaria:
Arvina leues clypeos, & ſpicula tergent
Pars: pars tela novant: alij thoracas ahenos
Et galeas, auri ſpecioſo lumine cælant.
Monſtra *Wiettenu* tanto molimine miles
Quæ parat, Auguſtas reginæ rumor ad aures
Defert: irarum feruenti fluctuat æſtu
Illa, graueſq; modis mirandis pectora curæ

Concutiunt

Concutiunt iraſcentis, velut æquora fratres
(Quos ſimul umbroſo diſcordes carcere laxat
Hyppotades) turbant, diverſa ad littora eoſdem
Vna volventes pugnanti flamine flatus:
Non ſecus illa graui, meritoq; accenſa furore,
Multa minax, hærenſq; animo diſcordia volvit.
Aſt lenita ſuo rabies hæc pondere poſtquam,
Mittit ad Imperij Proceres, generiſq; tumentes
Antiqui ſplendore viros, celereſq; coire
Imperat, ut motus properent pacare nefandos.
Principis imperio innumeri parere parati,
Expediunt volucres quicquid *Mavortia* poſcunt
Prælia: at ante alios omnes quo ſanguine cretus,
Et quibus addictus ſtudijs, quaſq; imbibit artes,
Inter regales primis nutritus ab annis
Brutigenum Muſas, *Henrici* regis in aula
Octavi, & ſexti *Edvardi* ſociuſq;, comeſq;
In ſtudijs quæ prima petit ſecura iuventus,
Ormonia monumenta comes dat aperta: calenti
Pectore in hoſtiles animoſus rumpere turmas,
Sanguineaq; manu (*Letheo* liba tyranno
Dulcia,) *Tenarys* animas miſcere rebelles
Manibus, exardet: rabies quem laſſat edendi
Ceu Lupus ex longo, cum caulam ſædulus ambit
Noctu, & balantes tutos cum matribus Agnos
Audit, in abſentes ſævit, lumenq; diemq;,
Quo procul armentum cuſtos arceret ouili,
Faucibus expectat ſiccis: ſic *Martius* heros

Hic habet in votis mage nil, quam stringere ferrũ
Hostibus in medijs, æquoq; expendere campo
Hostiles vires: nil vitam fundere pendens
Sic si fata velint, sceptriq; expostulet usus,
Et sacrum regni possit munire quietem.
His accensa tamen licet eius pectora curis
Sic, ut vix placido potiantur lumina somno;
Ecce aliud rapidos coniungens ignibus ignes,
Ingentesq; augens animos, atq; arma flagranti
Alteram ut *Alecto*, summo sed ab æthere missam.
Dum fremit *Angligenûm* tellus; dum spicula miles
Tingit uterq; nigri spumante liquore veneni:
Dum pars ire parat campis pedes, arduus altis
Et fremebundus equis pars: omnes arma requi-
Obviaq; ardentes vexilla mouere, tubarũ (runt,
Lætantur sonitu: Divûm pater atq; hominũ rex
Constitit arce poli summa, terrasq; iacentes
Despiciens, quanti quatiant regna Angla tumul-
Cernit, & ingentes iactantem pectore curas (tus
De tribus illa soror, dextro quæ pollice fusum
Volvit, adit, lachrymisq; oculos suffusa rubentes
Alloquitur sic. O qui res hominumq; Deûmq;
Æternis regere imperijs, atque ordine fixo
Mandâras, rerum ex solido tabularia ferro
Cum mîi tradideras, binisq; sororibus ante
Omne ævum, quæ te genitor sententia vertit?
Hæc nõne æra, quibus manibus fabricata Cyclo-
Arma, poliq; graues crepitus cũctasq; ruinas (pũ
Pollicitus

Pollicitus nihili, tutum fore, pendere, ſpondent,
Quod ſua ſol circum bis, & ter duceret orbem
Plauſtra, *Celedonios* faſces moderante *Maria?*
Poſt quod *Eliſſa* ſoror volvẽdis menſibus annos
Imperio multos explebit? Cœlica tandem
Quod tua progenies, nulli pietate ſecundus,
Pacis amans, rigidis & vinci neſcius armis,
Brutiadas, Scotos, Gallos, & *Hyberna* colentes
Arva, reget, linquetq; ſuis ſine fine *Iacobus*
Imperium natis, & qui naſcentur ab illis.
Altera ſed nondum regnantem viderat æſtas
Primævam *Henrici* natam, cum ſæua *Wiettus*
Nititur *Auguſto* conſpergere tela cruore,
Sacrilegaq; manu regali a ſtemmate Sceptra
Eripere: humanis tanta eſt an mentibus ira,
O pater, invitis & non dignantibus Aſtris,
Auſint ut quicquam? ſupplex laturus in aras
Thura quis eſt poſthac? aut quæ reuerentia Di-
In terris, ſi fata ſinis ſic irrita ſolvi? (vûm
Si ſine lege ruunt, ſi quo trahit impetus illos,
Per fas, perq; nefas mortalibus ordine nullo
Ire licet, fruſtra ducendo ſtamina rerum
Quid tua nos curæ tantum, tantumq; laboris
Progenies ferimus? captiuo bracchia cœlo,
Terrigenas inferre vetat quid more gygantum?
Talia mærenti ſummo fata numine virgo
Pectore conqueritur. Mæſtam ſolantia mentem
Hæc pater æthereus reſpondet: nata timere

Desine, fata manent immota, & numine vestro
Orbis in æternum moderabitur, æreq; quicquid
Fatali incisum, vastoq; adamante, potestas
Efficet non ulla, ratum quin tempore fixo
Eueniat: neq; me vertit sententia: quinq;
Phœbi circuitus duodena per Astra meantis
Explebit leges *Anglis* & iura ministrans (armis.
Quæ nunc Sceptra tenet, premiturq; hostilibus
Post hanc in sacras regni succedet habenas
Elyzabeta soror, decies quæ quatuor annos
Regnabit cum quinq; fere. Mea chara propago,
Ambiguum bello maior, pacisne *Iacobus*
Artibus, accipiet rerum moderamina tandem:
i. Neptuni. Quæq; fluentisoni nymbosa licentia fratris
Separat, horrendis & quæ contraria bellis
Inter se fuerant, vni parentia nunquam
Hactenus, ille meo coniunget numine in vnum
Regna, & in æternum concordi pace ligabit.
Alpibus imperium, stelliſq; *Erymantidos* ursæ
Quæ subsunt terris, vix finiet. Hinc ego nulla
Tempora regnandi pono. Dum permanet orbis,
Proferet in natos, in natorumq; nepotes
Imperium sine fine. Luet cum sanguine pœnas
Condignas, qui bella mouet, qui stemate sceptra
Nititur Augusto subducere. Talia fatur
Omnipotens, natumq; vocat, quem lucida partu
Pleias enixa est, illiq; hæc imperat auras:
Nate per æthereas motis illabere pennis

Angli-

Angligenũm in terras: *Londini* continet urbe
Se Comes *Ormonie*, quanquã iuvenilibus annis,
Quo tenet haud quisquam bellantes aptius artes,
Quove animis maior nullus, nec proptior hosti
Obuiuus ire, iuvat dum signa mouere, nec ullus
Aptior eloquio dulci, mulcenteq; lingua
Efficere ut vigeat laudis certamine miles.
Perge, age, nate, vola: referes pro fulmine lectũ
Hunc mihi magnanimũ. Rũpat cũctantia quæq;:
Arma citus rapiat, medios animosus in hostes
Se ferat altus equo; Stygijs & millia mandans
Multa rebellantũ fluvijs, ostendat *Olympum* (pũ
Non homines dare sceptra, eadẽ & dũtaxat *Olym-*
Non homines auferre. *Tonans* regit omnia cœlo:
Sic reges terris, cœlestia sola verentes,
Cuncta regãt: nostris similes tribuantur honores
Illis, sic placitum: doceat sic maximus armis
Ormonie dominus, cuncti velut ante parentes
Fecerunt: iusto quos omnes ordine, nate,
Te monstrante, polo lucentia sydera cernat
Nunc decus *Ormonie*, cœlo novus hospes, & in-
Gloria cœlicolis olim, splendorq; futurus. (gens
Paret *Athlantiades* pedibus talaria nectit
Aurea, queis supra spumantes æquoris æstus,
Telluremq; supra, rapido cum flamine fertur.
Dextera, pallentes *Erebo* qua dimovet umbras,
Quaq; alias mittit sub tristia Tartara, somnos
Qua fert, quaq; aufert miro conamine virgam
Corrippit,

Corripit, & dicto citius torquetur in arva
Anglica. Tempus erat placidũ cum fessa soporẽ
Corpora carpebant; nitidis cum sparserat astris
Nox cœlũ, & volucres, pecudesq; hominesq; tace-
Tũ *comuti* in sõnis prognatus *Athlãtide Maia* (bãt:
Sic ait: *Ormoniæ Comes* illustrissime, stirpis
Butlereæ spes magna, decus, laus, gloria; rector
Te superum, te qui torquet fabricata *Cyclopum*
Ignea tela manu, mentes punire rebelles,
Iustitiæ vacuas, fidei, pietatis inanes
Delegit: tu rumpe moras; cape cominus arma;
Proq; tua pugnans patria, pro Principe primam
Pande tibi portam summi ad palatia cœli,
Huc ubi cernis avum, patrẽ, reliquosq; parentes
A primo ad temet: speculatur in æthera mente
Hic *Comes*, & celso cunctos fulgentibus astris
Arce suos longo, pulchroq; ex ordine patres
Aspicit, & spectando nequit satiarier. Ora
Rursus *Athlantiades* solvens, monstrabo tuorum,
Ormoniæ Comitis prosapia. Inquit, miraris quos sic tibi nomina patrum.
Stella præit vestri longũ quæ sanguinis agmen,
Gilberti est *Becket Stephano* qui sceptra tenente
Eximios meruit *Londini* rector honores.
Post hanc astra duo gemino fulgore coruscant
Natorum, quorum primævus Episcopus olim
Cantuarensis erat *Thomas*: ætate secundus,
Quantus *Marte* fuit, *Walterus*, Gallia possit
Testari, bellis *Henrici* oppressa *secundi*.

Walterum

Walterum natus ſequitur *Theobaldus*, origo
Butlerę ſtirpis; Domini donatus honore
Butleri hic primus, regno pincerna quod eſſet
Regis in *Hyberno*: pincernam idiomate namq;
Denotat *Angligenum Butler*; mox *Baro* creatus
Arcklœ: hic primas *Hyberni* ut vidit arenas
Regni; & ubi primum optata tellure potitus,
Cum ſocij inſuetã terramq;, hoſtemq; timerent,
Tegmine mucronem validus nudavit eburno,
Necnon pollicitus nunquam velare, priuſquam
Plus regni medio ſignis victricibus iret:
Præſtiteratq; fidem: ter centum millia in *Arctum*
Hoſtibus invitis aquilas circumtulit Anglas.
In patriam & faſces fuerat pietate ſtupendus:
Quippe ubi iam moriens extremã funderet aurã,
Intacito ſecum devolvens pectore, motus
Quam proni ad varios *Hyberni*, pignora dictis
Talibus affatus: mea ſola & ſumma voluptas,
Dulcior & vita mihi dilectiſſima proles,
Amplius alloquio veſtro, aſpectuq; potiri
Fata negant: ergo memori ſub pectore pauca
Figite quæ fabor: domus hic, aut patria nobis
Non datur: exilium vita eſt humana; peracto
Quo, tandẽ adverã patriamq; domũq; redimus:
Noſter at haud reditus cunctorum tendit eodẽ,
Nec nos una capit domus omnes; una beatos,
Et ter fœlices, qui publica commoda lucro
Præpoſuere ſuo, delubra in candida divũm

Accipit

Accipit, optata sine fine ubi pace fruuntur.
Altera in horrendi sira furuo carcere averni
Est, ubi perpetuus fætorq; horrorq;, dolorq;,
Et pœnæ genus omne vigent. rabiesq;, metusq;:
Huc præceps ignava ruit plebs omnis, in asprûm,
Et celsum nequiens virtutis scandere collem.
Ergo mei exemplo, nati, per cuncta pericla,
Fortunamq; omnem cuncta & discrimina rerũ
Currite, cũ Princeps, & publica cõmoda poscẽt:
Sic acquiretis laudemq; decusq; perenne:
Sic non ulla dies memori vos eximet ævo:
Sic ubi fatales disrumpent vestra sorores
Fila, triumphantes Divorum tecta peteris.
His moritur dictis. *Theobaldi* proxima nati
Lucida stella subit: fasces moderante *Iohanne*
Hic fit *Carrigiæ Baro*. Lucentibus astris
Hinc subeunt natusq; nepos, *Theobaldus* uterq;
Clarus uterq; armis. Vires experta nepotis
Scotia fulmineas *Edwardo* rege priori.
Proxima succedunt *Edmondi* signa, secundus
Carrigiæ comitem quem Rex *Edwardus* inunxit
Imperij primo bis quartum vere sequenti.
Hic Satrapas multo contusos funere *Brinnos*,
Et pacem amplecti, & submittere colla coegit.
Hic crebris *Moroghos* concussit cladibus: vna
Luce rebellantûm decies capita octo, (trophæa
Inclita) *Dublinam* misit. Cum regia *Scotus*
Sceptra *Hyberna Bruis* vi cepit, & *Angla* superbus

Robora

Robora contereret, quoties *Carrigius* heros
Tela feram contra movit? quantumq; cruoris
Hoſtilis ferro fudit: moderavit habenas
Imperij crebro Prorex, equiteſq; triginta
Sole inſignivit vno. Dehinc proxima nati
Sidera *Iacobi*, quem terni bruma ſecunda
Edwardi Ormoniæ Comitis donavit honore.
Proximus æthereo natus ſubit axe *Iacobus*,
Edwardus texto regni cui tertius anno
Poſt decies quartum, *Tiperarsia* regia iura
(Vulgo *Palatini* vocitant comitatus honorem)
Omne per et regnum Vinorum auguſta tributa
Donavit ſeris linquenda nepotibus. Armis
Hic fuit inſignis Satrapas, gravitateq;: Prorex
Vnde apud Hybernos fuerat perſepe. *Iacobus*
Tertius inſequitur, proles, hæreſq; ſecundi,
Marte potens Heros, cedens pietate nec ulli.
Henrici extremo quinti vaſtauerat anno
Macmahonum, Oraylũ. Maguir, multoſq; rebelles
Vltoniæ immanes alios; annoq; ſequenti
In *Leſiam* vexilla movet, *Moroſq;* cruenta
Quatridui pugna victos ſubmittere legum
Colla iugo cogit. Bis hinc duo ſydera ſubtus
Aſpicis illius natorum: bina creatos
Illicite ſignant: vnius ſemine quorum
Inclita deſcendit ſoboles, pietate ſtupenda,
Et Marte, inſignes *Cahere* paritura *Baronet*.
Alter *Kilmaina Thomas*, agnomine *Claudus*,

Preſul

Præsul, & *Henrico* sub sexto rector *Iernes*
Qui fuerat: Gallis notum bene quantus in armis:
Rothomagum signis etenim victricibus audax
Intrârat, regiq; suo subiecerat urbem.
Altera bina duos demonstrant sydera natos
Legitime genitos, quorum qui grandior ævo
Iacobus, præter titulos, quescunq; priores
Insignes fuerant, *Wiltonius* insuper Heros
Ter nona *Henrici* bis terni messe creatur:
Hic honor ipsius solis sed semine cretis,
Crescendisq; datur. Bello celeberrimus alter
Auratus miles *Richardus*. Terna *Iacobo*
Sydera tres nati subeunt: mors abstulit omnes
Masculeæ vacuos sobolis: decesserat *Angle*
Telluris quæstor *Iacobus*. Cæca *Iohannes*
Fatorum Solymis accepit vulnera. *Thomas*
Henrici sexto bis quarti desijt anno
Luce frui. Recto succedunt ordine quatuor
Richardo stellæ: quarum suprema, *Iacobi*
Ipsius est nati: natoq; secunda creatum
Indicat *Edmondum*. Bello præclarus uterque.
In terno pronepos comparet sydere, *Petrus*,
Vester avus, *Comes* insignitur *Osorius*, atque
Ormonius, natiq; duo celebrantur honore
Viscomitum: primus *Thurlusse* Viscomes; alter
Montgarret, regni bis quarto sceptra tenente
Henrico, postquam prolis decesserat expers
Masculeæ, extremus *Thomas Wiltonius* heros

Butle

Butlera de ſtirpe: liquet quam ſtrenuus aſpro
Marte, *Caledonijs Petrus* quam fidus: *Iernes*
Bis fuerat Prorex. In quarto ſydere fulget
Ipſe tuus genitor *Iacobus*, ſigna per agros
Anglica qui *Scoticos* duxit, miſſiſq; ſub umbras
Millibus, in patriam redijt cum divite præda.
Anglicum erat fulmen, robuſto cuius ab ictu
Innumeri *Hiberna* domiti tellure rebelles.
Kildariæ quondam *Comitis* cum natus, & hæres
Thomas, agnomen dederant cui ſerica, bello
Hybernis Anglos decrevit faſcibus orbos
Reddere, eumq; omnes regni pleriq; potentes
Iuverunt: *Mavorte* tui genitoris hoc audax
Oppreſſum facinus, belliq; euanuit horror.
Maiorum ornatus titulis, & ſummus *Iernes*
Occubuit quæſtor, longe accepturus honores
Maiores, ni fata viri properata fuiſſent.
Aſtra patris patrui comitatur ſtella *Richardi*
A quo *Montgarret* ſumpſere exordia prima
Viſcomites, rigidis proles aſperrima bellis.
Tu cupis hæc inter tua ſi numerarier aſtra:
Perge, age, macte animis, ſequitor veſtigia patrũ:
Perde malos: ſuccurre bonis: defendito leges,
Iuraq;, nil dubitans pro libertate tuenda
Principis, & Patriæ calidum inter tela cruorem
Fundere. Crede, prius tibi quam ſtellata Deorũ
Atria pandentur, multos his artibus annos
Te dabis: heu quã ſæva geres bella, horrida bella?

Monſtra

Monstra manent sternenda tuas quot tristia vir
Non tibi forma triplex deerit pastoris *Iberi*
Gerionis: nec quæ fæcunda est mortibus *Hydra*
Innumeris: nec cui tacta tellure nouato
Robore membra vigent, nec taurus gutture flam
Expirans: ne cede malis tu: fortior ito (ma
Sed tua quam fortuna iuvat, ceu spiritus alto,
Quem cava circumstat nubes, dũ tendere sursum
Nititur, hucq; illuc, & circum claustra movetur
Frigore ab astanti maiorem corripit æstum:
Sic tua multiplici concrescat vulnere virtus.
Quo maiora feres terris, te maior Olympo
Hoc expectat honos. Linguam *Talariger Herm*
Supprimit his dictis, superûmq; ad tecta remigr
Hic *Comiti* somnum rumpit, qui possidet ingen
Pectora bellandi fervor, noctisq; per umbram
Multa animo volvens, tenebris aurora fugatis
Vt primum claro splendore impleuerat orbem,
Regia festino contendit in atria cursu.
Mœnia ibi circum, medijsq; armata platæis
Agmina multa virûm, gemmis auroq; superb
Lituorumq; sonans sublimia sydera clangor
Pulsans, arma ciet. Stricto concurrere ferro
Omnibus ardor erat, dubio & certamine vires
Detegere. Expectant proceres ad limina molli
Reginam lecto cunctantem: miscuit Heros
Se quibus *Ormonius*, vultu præsignis & armis.
Tandem progreditur longo circundata cætu

Regin

Regina; ut tetricos magnates vndiq; circum
Horrendo cinctos ferro, multamq; iuventam
Armatam latos videt exultare per agros,
Quanta sinu tacito persensit gaudia, fari
Haud facile est. Ducibus postquã gratantia fecit
Dicta, & florentem placidis ad prælia pubem
Vocibus exacuit: iussum *Norfolcius* ut dux
Militis accipiat totius fræna strategus.
Imperio huic sæcli decus admirabile nostri
Proximus *Ormoniæ* Dominus: fit summus equorũ
Rector, & ratrantes in pugnam aptare catervas
Illi cura datur: quodq; est plus omnibus, ipsa
Regina Heroi, quamvis pugnare flagranti,
His *Athlanteos* animos calcaribus addit.
Nobilitatis honos, animi plenissime magni,
Edite fœlici fato, natura decores
Æmula cognatos sequitur; *Iouis* alite * proles
Orta, poli flammas temnit, Phœbiq; potenti
Lumine fert radios: pete tu vestigia patrum;
Ede tui generis uirtutem, & sospite te tunc
Res ausim nostras semper promittere tutas.
Obstupuit tantis maiorum laudibus Heros
Ormonius primò; mox talibus ora resolvens
Reginam affatur. Ter præclarissima Princeps
Si quid pro Sceptris, patriaq; egere *Priores*,
Promeritis maiora suis iam præmia carpunt,
Quis tua dignata est tantas ascribere laudes
Maiestas, tantæ laudati principis ore

* i. Aquilæ pullus.

O quam fœlices? quam fœlix tanta mereri
Qui virtute queat? cœlos ego teſtor & aſtra,
Me vel ſceptra tibi, regniq; inſignia ferro
Hoc defenſurum (nam quo circundatus, enſis
Hic capulum tangit.) Medijs aut hoſtibus auram
Hanc afflaturum, confoſſo & pectore vitam:
His dictis ſubito pictai veſtis, & auri
Diues, & armorum ſplendens fulgore coruſco
Signa movet, veloxq; cohors *Roſſenſia* verſus
Mœnia carpit iter, veſana ubi caſtra *Wiettus*
Expedit. Vnanimis peteret ſi prælia miles
Regius, aſpectu quanta formidine ſolo
Aduerſas quateret partes? quot millia duro
Sterneret in terras morientia corpora ferro?
En ſed inauditum facinus, nulloq; piandum
Crudeli ſatis, ulla unquam quod protulit ætas,
Supplicio. Parva cum iam tellure dirempti
Miles uterq; forent, nulla ut cunctatio pugnæ,
Maxima regalis pars, immo exercitus omnis
Ferme deficiunt, contra & ſas omne, *Wiettum*
Auxilio firmare ſuo, ſocioſq; cruentum
Vertere in incautos, ſcelus execrabile, ferrum
Conſtituunt: tacito firmant colludia ſigno:
Cæruleo ſceleris conſortes tincta colore
Ferre omnes vexilla monent: diſcrimine nullo
Quoſlibet examines alios demittere ad umbras.
Hoc ſed fata nefas prohibent: qui iuſſa per auras
Fert *Ionis* ætherea dimittitur ales ab arce,

Monſtro-

Monſtroſumq; ſcelus pandens, vexilla referre
Arma auguſta monet. Sero iam Veſper Olympo
Fulget, & Oceano flammantes mergere currus
Sol properat. Divûm monitis *Ormonius* ergo,
Aduertens rerum diſcrimina tanta per umbram
Regia caſtra facit regredi, tantiſq; periclis
Eripere ingentes animos, & pectora fida.
Criſtato ſublimis equo volat ipſe per umbram
Obſcuram, per plena metus loca, regia verſus
Mœnia *Londini*, Reginæq; ordine caſtra
Quo liquit fatur, ſceleratam & militis edit
Perfidiam: attulerant non expectata ſtuporem
Nuncia reginæ primo: mox robora ſumens,
Herculeoſq; animos *Comitis* mirata, fidemq;
Phœnici æqualem, mittit qui pluria cogant
Adiumenta, novaſq; ferant ad prœlia vires.
At vix quingenti ſupra ter mille (relatu
Heu miſerum) venere malis obſiſtere tantis:
Dira *Wiettea* toto contagia peſtis
Sic regno ſerpſere: omnes iuraſſe nefandum
In facinus credas: tacito namq; ipſa rebellat
Imperij ſedes. Portas promiſerat urbis
Hoſti ingreſſuro *Londini* pauidus *Prætor*.
His animos tollens, veluti cedente *Wiettus*
Fortuna, auguſtæ properanti ad mœnia curſu
Vrbis iter tendit, clipeata per agmina pontem
Ducturus: Regina dolos fauſto omine ſentit,
Præuertitque: animis ſertur cuſtodia fidis

Portarum, & circa pontem tormenta locantur
Immensa, horrendo rumpunt quæ celsa fragore
Mœnia, ferratis plumbis, ubi pulvere flammas
Sulphureo capiunt: ut primum nuncius hosti
Notus hic, incæptum regalem cautus in urbem
Linquit iter, ponitq; adversis impia castra,
Tramite mutato, procul haud a mœnibus agris.
Interea *Hybernus* fama super æthera notus
Dux, satrapasq; colit quem gens *Norfolcia*, muris
Educunt vexilla, graduſq; hostilia ad arma
Accelerant, auidi illatis concurrere signis.
Quavidet occiduo feruentem sydere cancrum
Vrbs, iacet insignis *Tamisino* a flumine campus
Non procul amotus, *Dini* fruticosa *Iacobi*
Prædia. Cui gelidos glaciali mittit ab *Arcto*
Silva virens flatus: huc clangens agmina cornu
Concitat: in præceps huc volvitur impete miles
Maximo, & hic multo committere vulnere pugnã
Proposuere duces: ergo huc cœlo auspice vecti
Agminis, inq; duas secti, pars vna comanti
Mittitur a sylua palantes pellere ferro:
Sic namq; *Ormonius* iubet invictissimus *Heros*:
Altera stat recto plenos qui ducit in hostes
Tramite, iamdudum dextris miscere parati
Prælia sanguineis; adversa fronte coruscans
Ære *Wiettæus*, iactansq; ad nubila lucem
Sole laceſſitus, tremulas exercitus Euris
Fert aquilas, lævumq; petit pede præpete campũ.

Signa

Signa venire videns, propiuſq; aſtare catervas
Hoſtiles, ſubito calcaribus urget alacrem
Cornipedem, & volitans intorti turbinis inſtar,
Armigerive *Iouis*, pernicibus aere pennis
Dum prædam ſequitur, *Satrapas Ormonius*, omnes
Agminis advehitur cornus, cunctoſq; canoro
Pectore in arma ciet ſic: O quam veſtra popoſcit
Virtus, orta dies, opulentaq; meſſis honoris:
En veſter ferus hoſtis adeſt, arma impia: credat
Quiſque ſuam prolem, patriam, connubia, leges,
Pacem, ſceptra, poteſt & delectabile quicquid
Eſſe, ſuis pugna committi viribus vna.
Pergite magnanimi, totas effundite vires:
Auxilium feret ipſe polus, ſperare ſecundos
Cauſa iubet melior ſuperos, ne fortia deſint
Pectora, & haud dubium, vobis victoria cedet.
Talia vociferans, horrentiaq; arma coruſcans
Sævit ut *Hybernus* dux inter utraſq; phalanges,
Armipotens qualis *Romani* ſanguinis author
Enſe ferox petijt validos *Titanas*, *Olympo*
Subveniens, trepida ſtetit hoſtis mente, caduntq;
Spes, virtuſq; omnis. Latebroſo protulit antro
Sic ubi ſe Tigris, rictuq; excurrit hianti,
Horreſcit pecus omne videns, geliduſq; per oſſa
Vertitur in glaciem multa formidine ſanguis.
Immani ut ſocios ſenſit terrore *Wiettus*
Exanimes, *Comiti* blanda ſic voce propinquans
(Præmiſſo primum pacis qui ſigna ferebat)

Fatur: *Iernorum* decus indelebile, quis te
Tantus in arma furor cogit? committere tantum
In te vel quid ego potui: te subtrahe pugnæ:
Magnificis, quæcunque petes, ornabere nostris
Muneribus: sic ille. *Comes* sed pectore contra
Hæc ait immoto; dederis licet aurea quicquid
Diuitis unda *Tagi* flauenti gurgite volvit,
Quicquid & *Hermus* habet, quicquid *Gangetica*
Auri, Gemarũq; tenet, prius *Eurus* ab una (tellus
Parte poli, & *Zephyrus* flabunt, & prospera syrtes
Littora præbebunt nautis; in montibus algæ
Nascentur summis, & flammas æquora mittent,
Quam mea deficiet pietas in sceptra, fidesue.
Hæc fatus rapidi luctantia colla retrorsum,
Cornipedis flectit, multisq; in prælia rursus
Corda virûm stimulis acuit. Sata nocte secundis
Quæ dolet, aduersisq; hominum successibus usq;
Gaudet, vipereoq; virent cui pectora felle:
Cui macies vix ossa tegit, cui lumina semper
Torvè prospiciunt, vultu cui nulla cruoris
Copia, cui stygio suffusa est lingua veneno,
Cuiq; negant somnum curæ: squallentia nigro
Toxico, & ignavi plenissima frigoris, usq;
Orba calore omni, non ulli peruia soli
Limina, monstriferi furvis in vallibus antri
Abdita tam linquit, nebulasq; induta nigrantes,
Brutiadas celox quærit, ducibusq; latentem
Inspirat binis augusto ex agmine tabem.

Invictum

Invictum maneant quanti demonſtrat honores
Ormoniæ Comitem, rigidis & quantus in armis
Imperat, inſpiciant, ipſorum nomina nullo
Cum ſint in prelio, forſanq; futura minori.
Ima ducum penetrat tacitum præcordia virus,
Inq; ignem venis paſcentes regia paſſu
Tecta petunt trepido, placuitq; affarier ore
Reginam ficto ſic: *Illuſtriſſima Princeps*
Si quid opis ſupereſt, rerum cita conſule ſummæ.
Cerne quid indigenis externa in gente creatos
Antehabere iuvat: ductor defecit *Iernus*,
Et tua quæ dederat *Maieſtas*, perfidus hoſtem
Vexillis auget. Summos ingratus honores
En ſic immeritos penſat. Vox faucibus hæſit
Reginæ rumore novo, multuſq; per artus
Frigore concreuit ſanguis, ſed ut oſſa reliquit
Hic ſtupor, auguſta ſic alta ſilentia voce
Ruperat: *Ormoniæ Comitem* contraria noſtris
Credibile eſt augere aquilis proh, *Iupiter*, arma?
Cuius nec genitor, nec avus, neq; ſanguinis ullus
Defecit: prima repetas ab origine cunctos.
Quanquam res ita ſit, divûmq; immota voluntas
Sic velit, illius domus immutabilis uſq;
Ante equidem virtus aliter me fidere cogit.
Hæc ait; interea fatali claſſica campo
Intermixta ſonant, vtriuſq; & in arma ruentis
Militis it clamor cœlo. Volitantia denſo
Multa ſimul primam fecerunt turbine ſtragem

Spicula, & innumeræ flammato ſulphure glãdes
Æthra per immiſſæ. Parvo ſed tempore pugna
Hæc longinqua manet: ſtricto nũc omnis in enſe
Speſq; ſaluſque: viri miſcentur, neutraq; cedit
Pars: utrinq; ingens clades: victoria pennis
Stat dubijs, incerta diu, cui debita parti.

Haud ſecus ac plures parili cum robore flatus
Aera dilacerant, aquilæ de corpore pluma
Quæ cadit, huc, illuc vario certamine gyros
Efficit innumeros. Irarum fluctuat æſtu
Hic *Hybernorum* decus, increbreſcere pugnam
Vt videt: ergo velut venantum cincta corona
Se fera tollit humo, teliſq; obſtantibus ultro
Ingerit: ille furens ſic qua denſiſſima cernit
Agmina, & annexis ſtipata umbonibus arma
Irruit, & quacunq; ruit, terrorque, metuſq;
Omnibus inſeritur: medios equus, haſtaq; tutum
Per gladios lucrantur iter; quaq; impetus illum
Attrahit acceſſum, crudo cooperta videri
Sanguine terra nequit; forti tot vulnera dextra
Non repetenda dabat: toto non agmine quiſquã
Audet, non vna plures occurrere ſoli:
Tantus in ore furor, tanta feritate per arva,
Spumanti provectus equo, quæq; obvia paſſim
Corpora fundit humi, rictu raptator hianti
Ceu Lupus inter Oues: *Erebi* quos *Martia* ripis
Ira nigris nondum demiſit, prælia fuſi
Iam linquunt hoſtes, pedibus tutamina vitæ

Com-

Committunt. Nullo palantes *Marte* per agros,
Non ultiq; viri pereunt: *Phlegetontius* ipſe
Armorum, ſceleriſq; author, ductorq; *Wiettus*
Exiguo capitur ſtipanti milite palans.
Hic finis bello: populis ceu natus *Eois*
Ora niger poſſis ut vix cognoſcere (vultum
Hunc dederat volitans ignitus in aere pulvis,
Plumborumq; virum circa, quacunq; cruentam
In pugna faciem vertit, denſiſſimus imber)
Auguſtam ſignis ductor victricibus urbem
Ormonius repetit; læto comitante ſenatu
Obvia cui portis *Regina* occurrit, eumq;
Alta triumphanti ſimilem in palatia ducit.

ORMO-

ORMONIS

Liber secundus.

COndignos hic ille diu dum carpit honores,
Tristia cimerias linquit penetralia valles
Morpheus: hoc illi rector superûmq; hominũq;
Imperat; & nullos strepitus facientibus alis
Per tenebras volitans, intra breue tempus in urbẽ
Londini vehitur, positisq; è corpore pennis,
Fœmineam adsimulat faciem, tellusq; *Dynastæ*
Ormonio apparens *Hyberna*: his soluerat ora:
Nate decus, viresq; meæ, mea gloria magna,
Tantane te subito cepere obliuia nostri?
Tantane *Brutiadum* telluris gratia? post hac
Vt non nativas digneris, visere sedes.
Vsq; adeone tuam comes illustrissime mentem
Arbitrer ingratam? te plus debere fatebor,
Quam mihi, *Brutigenis*. Genitrix est *Anglia* stirpi
Prima tuæ; primos at ego, licet omine fausto,
Fælicique, tuos alui compulsa parentes.
Sceptrated ignoras an nunc *Hyberna Britannis*
Sic annexa? premant ut qui me cumq;, *Britanni*
Quin lædant non posse: & qui me iuverit, *Angli*

Lædet

Lædere quod nequeat. Si me non viſere noſtri
Ergò dignaris, moueat *Britannia* ad oras
Te properare meas. Placida nunc pace fruuntur
Munere nate tuo *Angligenæ*: ciuilia deme,
Hybernis ſic bella, quibus per plurima nunquam
Luſtra carere, tui niſi cum vetuere parentes.
Morpheus his ſiluit. Madidam dimouerat umbrã
Vt primum lux alma polo, *Tiperarius Heros*
In patriam molitur iter, ſocioſq; parare
Se iubet: interea ſacrum citus ipſa ſenatum
Reginamq; petit: triſtes *Hybernia* belli
Ad motus quam prona recenſet: adire penates
Ergo ſuos placido Reginam pectore poſcit,
Impetratq; ægrè veniam: nil deinde moratur;
Protinus Arctoos fluctus petit, altaq; tollit
Carbaſa, & *Hybernis* fœlix appellitur oris.
Quod * *Feliciadum* paſſim cum fama per agros *i. Hybernorum.*
Sparſit, quam plures humani ſanguinis æuo
A tenero ardentes, ſubito poſuere ferina
Corda metu, & leges venerari, iuraq; deinceps
Mutati ſtatuere: quibus ſed cornua fibra,
Et queis immotas legum irreuerentia fæuit
Radices, ferro, flammiſq; *Ormonius Heros*
Perſequitur, domitatq; acer: refer ordine muſa,
Hoſtes qui, qualeſq; viri Mavorte ſubacti:
Nec pigeat primas cunctorum pandere cauſas.
Mos erat *Hybernis* ipſorum antiquus ab ortu,
Quandocunq; trium fatali lege Sororum

Iret

Iret in exanimes princeps domus ullius umbra
Defuncto nunquam patri succedere prolem
In titulos, de stirpe foret nisi maximus æuo.
Inter *Cassiadas* * hunc morem primus avitum
Sustulit, *Henrico* octauo regnante, *Donochius*,
Thomoniæ a primo comes alter, & attulit *Angl*
In patriam ritus: annis nam maximus eius
Natus *Cornelius*, Dono fit regis *Ibercan*
Baro, & *Thomoniæ Comitis* consciscitur hæres.
Hoc *Comitis Mauorte* asper, feritate nec ulli
Cedens, germanus tulerat *Donaldus* inique;
Et simul ac *Comitis* ruperunt stamina *Parcæ*,
Antiquos patriæ ritus, moremq; referre,
Et *Comitis* delere novum nomenque, decusq;
Sedulus aggreditur. Fauet omnis patria cæp
Aientes vni *Thomonia* debita nulli
Iura, sed ex æquo toti communia stirpi,
Annorum, ætatisq; habito discrimine solo.
Sæpius hoc omnes clamant, seseq; vicissim
Martis agunt stimulis, ac exhortantur in arma
Millia ter distat *Limbrici* quatuor urbe
Maghagher in Boreã, (fæcundo gramine camp
Diues) ubi *O'Brienos* consuetum est usq; crear
Huc furiata cohors cursu volvuntur anhelo,
Donaldumq́, vna communi voci salutant
Obrienum. Citus ille omnes vi possidet arces,
Castraq; quæ *Comitis* fuerãt; quinosq; per ann
Thomoniæ carpit reditus, rerumq; potitur.

*i. Brienos Thomoniæ Dominos.

H

His nec contentus (quid non compellit & urget
Mortales ambitus honos) fauisse nepoti
Cornelio quoscunq; putat, vel carcere vinctos
Claudit in obscuro, pœniscq; affligit acerbis,
Fato aut indigno sub tristia tartara condit.
Ipse etiam patrui (miserum) crudelia vitans
Spicula, maternos cognatos exulat inter
Cornelius, mœsto consumens tempora luctu.
Sume animos delecte tamen cœlestibus heros:
Pelle graues motus: fortuna volubilis axem
Vsque rotat. gressuq; diu non pergit eodem.
Terminat extremam, terrisq; annectit Eois
Thomoniam turris (*Michaelis* castra vocatur:)
Quam, quod adhuc patriæ ex cunctis fidissima
Vnica *Cornelio*, longa obsidione fatigat (perstet
Donaldus, belloq; premit. Iam dedere victus
Defectu obsessi cum se cæpere, loquaces
Fama capit pennas; regnique, citata per omnes
Partes, facta canens, infectaq; multa cietur.
Arcem illam multis præcingi hostilibus armis
Obsessosque, fame compulsos, pandere portas
Hostibus, & sese iamiam submittere promptos,
Atq; illis aliam non spem superesse salutis,
Garrula diua virûm passim diffundit in ora.
Hic ubi *Butleri* Comitis pervenit ad aures
Rumor, quanta viri flammatis ira medullis
Protinus exorta est: patruelí fœdere namque
Cornelio iunctus: sed non patruelia tanti

Vincla

Vincla facit, quanti leges & iura tueri.
Ergo moras rumpit, centum duntaxat equorum
Præsidio, & peditum stipatus quinq; maniplis,
(O defessis nunius fervor succurrere, plura
Exspectare vetat pugnantum robora) versus
Thomoniam molitur iter, *Michaelis* & *arcem.*
Campos at longus *Clunrickard* separat agris
Mons a *Thomonijs* vulgo, *Sluaghta* vocatur,
Cuius ad *Eo.m* frontem cum signa moveret
Ormonius, (locus ille etenim conterminus hosti)
Suadetur revocare gradum; inconsultaq; tanqu
Mittere cæpta: quater cuius superantur ab arma
Vires aduersis; sed persuaderier ille
Mittere cæpta nequit: socijs per membra cruor
Ergo gelare metu, gelidosq; rigere capillos
Aduertens, validis trepidantia pectora firmat
Vocibus his: absit quod me formido vel vllus
Cognato impediat dubius succurrere tantis
Casus in extremis: spectatur vt ignibus aurum,
Sic sincera fides fumino discrimine rerum
Apparetq; vigetq; magis. Non vnica verum,
Sed duo me fidei firmissima vincula poscunt
Hoc ad opus: primo legum reuerentia ferre
Suadet opem iustis: proprio patruele periclum
Iure deinde suo nostrum tibi vendicat omne
Auxilium: cæptis ergo desistere sperat,
Hortatu quicunq; suo me cogere, multum
Decipitur; steriles & vomere sulcat arenas.

Sic fatus rapidis fodiens calcaribus armos,
Lorag; retractans, iactatis egit in alto
Cruribus alipedem toto dare corpore motum.
Hic poſuere metum ſocij, viresq; reſumptas
Teſtati clamore duci: dux maxima pleno
Gaudia corde fovens, per proxima quæq; citatos
Fert greſſus, quæritq; viæ compendia in hoſtem.
Tandem delatus caſtra unde hoſtilia cernit,
Et terno poſſit teli pertingere iactu,
Poni caſtra iubet (nam iam fulgebat Olympo
Veſper, & inſtabat ſolita ad præſepia feſſos
Ducere Phœbus equos) ſed non requieſcere tota
Nocte illic ſtatuit: nam cum Sol aureus imum
Deſeruit culmen, noſtrumq; reducere ad orbem
Plauſtra ſua incæpit, ductor tentoria liquit
Butlerus, toto ſtipatus milite, præter
Claſſica qui portant, Martemq; accendere cantu
Aſſueſcunt: hos aſtra iubet clangore tubarum,
Lituorumq; ſonis paulo pulſare, priuſquam
Eos orta diem, lucemq; reduxerit orbi.
Per tenebras tacito volitat pede providus ipſe,
Parte & ab aduerſa ſtatuit compellere in arma,
Qua minus expectent, ubi primũ illuxerit, hoſtes.
Aſt veluti iamiam Lupus ingreſſurus ouile,
Et laniaturus rabioſis dentibus agnos,
Forte aduentantis rugitum a fronde Leonis
Audit, inhorreſcit ſubito, cæptumq; tremiſcens
Deſerit, & denſas rapido pede currit in umbras.

Haud

Haud secus *Obrienius*, fama super æthera noti
Vidit ut *Ormoniæ Comitis* vexilla viroſque
Contremuit, quanquamq; armis & milite circũ
Arva obtexantur, diffidens viribus, atra
Nocte fugam arripuit, tacitis & caſtra tenebris
Mouit ab obſidio. Cum nondum poſtera cœlo
Lux pepulit ſtellas, humidãve remouerat umbrã,
Ormonij ſonuere tubæ ductoris ab ortu;
Ipſeq; ab occaſu deſerta ad caſtra propinquat,
Non deſerta tamen, cenſens, pugnamq; paratu
Miſcere, Oceano ſimulac ſurrexerit *Eos*.
Orta dies tandem, vacuiq; hoſtilibus agri
Turmis cernuntur: longo ergo obſeſſa iuventus
Se luctu ſolvunt, clamorem ad ſydera celſis
Tollunt è muris, ferrataq; limina læti
Clauſa diu pandunt, flammato pectore cuncti
Dux Butlere tuum expectantes cernere vultum.
Non ſecus æquoreis religatam cautibus olim
Cum *Ionis* & *Danaes* natus *Cepheida* monſtro
Fortibus eripuit telis; ad littora magno
Cum plauſu occurrunt, & laudibus aſtra fatigãt
Æthiopum numeroſa manus, matreſq; nuruſq;
Longæuiq; patres, pueri, teneræq; puellæ.
Poſtquam introgreſſus, fidis cuſtodibus arcis
Ormonius multis gratatur vocibus Heros,
Inuicti contra quod tot, tantoſq; ſtetiſſent
Oppugnatores; largoq; remunerat auro,
Argentoq; virũm vivacia corda, fidemque.

Impige

Impiger inde, prius munita pluribus arce
Viribus, ad regni proceres contendit, & omnem
Thomonia pandens statum, persuadet in arva
Armorum ingentes mitti *Thomonia* turmas:
Quas simul ipse, simul prorex *Walterius Heros*
Ducunt, & Comitem confirmavere *Thomontum*
Cornelium, *Obrieni* deleto nomine. Fœlix,
Et fortunatus, cui tantum contigit armis,
Et pietate, virum patrueli fœdere iungi:
Ipsum nec pigeat tantos adijsse labores
Ormoniam: hoc eius patrueli namq; *Donochus*,
Thomoniæ genitus Satrapas, celeberrimus heros,
Inferior belli studijs, pietateq; paucis,
Intactæ cuius fidei, Martisq; rigentis,
Calibus in varijs fecerunt sceptra periclum.
Postquam *Thomoniæ* cessarunt arma, tumultus
Incipit horrendus boreali in cardine regni.
Huc Heliconis adeste Deæ. Recludere tantos,
Tantorumq; mihi fas sit primordia, motus.
Scinditur in quinas tellus *Hybernica* partes,
Quarũ quæq; licet per sæcla quaterna *Britannis*
Subdita iam Sceptris, Anglorumq; imbibat usq;
Et mõres, legesque: tamen quam dura *Nicili*
Stirps colit, infesto gens atrocissima Marte,
Barbara adhuc fuerat, rituq; odêre coloni
Anglos, ut nollent *Comites ve*, *Duces ve* creari
Angligenum de more, immo nec discere quisquã
Angla loqui vellet, nulla ut commercia prorsus

Exosa cum gente forent: contraria porro
Arma *Thomas*, *Dariæ Comitis* cum natus & hæres
Henrico octavo regnante, in sceptra rebellis
Moverat, affinis se polluit eius eadem
Peste, *Nielliadum* Satrapas, cui nomina *Connus*
Claudus; at ut primum belli ductore perempto,
Et *Mavorte* procul pulso, videt omnia plena
Pace frui, trepidat, *Britanna*q, cærula verrit,
Et supplex coram regni magnatibus *Angli*
Apparens, vltro titulum reiectat *Onelli*,
Regis & arbitrio vitam cum ruribus offert.
Tam demissa viri, non expectataq; virtus.
Obtinet extemplo quam magnum a rege favorē.
Cuncta ignoscuntur delicta: & patria dono
Augusto capit arva iterum. Donatur honore
Tironiæ Comitis, nothus illiusq; *Matheus*
Fit *Baro Dungennan*, Comitisq; ascisitur hæres,
Hoc *Connō* rogitante: dolent his cætera *Conni*
Pignora legitimo thalamo prognata: *Iohannes*
Quos inter natu primus, feritateq; longe
Exuperans reliquos; furijs accensus, & ira;
Nullam animo requiem carpsit, crudelia donec
Tela cruentauit funesta cæde *Matei*.
Post simulac inter vivorum existere cætus
Desijt exacto *Parcarum* stamine *Connus*,
Onellus patrio delectus more *Iohannes*,
Occupat extemplo, patris quæcunq; fuere,
Rura, domos, agros, pecudes, castella, tributa:
Vicinosq;

Vicinoſq; ferox, dominum quicunq; fateri
Illum indignati miſerè devaſtat. *Orayium*
Aggreditur primo, multis & cladibus urget.
Hinc in *Tyconnell* dominum converterat arma,
Cuius ut impoſuit devicto vincula collo,
Non flocci reliquos pendens, iura omnia temnit
Anglica; *Proregem*, procerumq; inviſere cœtus
Iuridicos non vult. Et ceu non ſubditus ulli,
Quæ ſibi cuncta placent, ſtat pro ratione volun-
Ultonie ſancit, mutatq; ſtatuta colonis. (tas,
Hæc *Comes* haud animo perfert *Suſſexius* æquo
Prorex: magnateſq; alios turbâre: ſed inter
Ormonius reliquos omnes, opprobria multo
Tanta minus tolerare poteſt: accerſitur ingens,
Vltoniamq; petit Lethali exercitus ære
Terribilis. Prorex illuc citus advolat ipſe,
Illuc & Satrapas ſtudio contendit alacri
Kildaria: aſt heros ſuperat *Butlerus* vtrumq;,
Cuius ab *Vltonijs* quanquam diſtantior agris
Sit domus, ipſe tamen, totus quò currere primũ
Præmonitus fuerat miles, contermina diræ
Vltoniæ, ad *Rathſgiath* primus pervenerat arva:
Illic & ternos expectat cætera ſoles
Agmina: quò poſtquã venerunt; protinus omnis
Signa cohors mouit, paucos & conſtitit intra
Optata tellure dies. Qua proſpicit ortum
Tironia princeps, magis & digniſſima fedes,
Dungennain, diſtans circum ter millia terna

Est locus: indigenis *Campanæ villa* vocatur.
Hic augusta manus ponunt tentoria; fessas
Hic vires reparare suas, aliquotq; morari
Proposuere dies prorex *Dariæq;, Dynastas*.
Nescius ast ullis lassus succumbere damnis,
Quē non tristis hyems, non nix, nec grando, nec
Tædia nec possunt ullo sine fine laborum (ignis,
* *Ormonius.* Frangere,* *Carrigiæ* Dominus sua castra locari
Non sinit. Horrifico stipatus milite, densos
Per dumos, sylvasq; feras, per inhospita rura,
Tendit inaccesso nemorosam limite vallem
Concainam versus; numerosam vertere prædam
Expectans ad castra retro, præpingua multa
Illinc terga boum. Primis in faucibus atræ
Vallis at optatos præda magis invenit omni
Hostiles multos cætus, fulgentia quorum
Arma procul nigras obscura è valle tenebras
Expellunt, vultuq; sedet ferus arbiter ipse
Armorum Mavors; lituis nunc stridulus aer
Elisus pugnæ signum dat; spicula vibrant,
Clamoremq; viri convexa ad sydera tollunt.
Ingeminant fremitum sylvæ, foveisq; sonora
Eccho cauis habitans. Simul vndiq; tela repente
Crebra nivis ritu fundunt, quæ plurima terris
Corpora prosternunt morientia. Colligit iras
Hic *Comes* ingentes: sociosq; accendit amaris
Vocibus his. Virtus solis an vestra sagittis,
Æratisq; globis constat? cur cingit inanis

Vestrum

Veſtrum mucro latus? teretes geſtare faſciſſas
Quid iuvat? ignavâ procul hinc ô pellite mentē:
Accelerate gradus: coniungite cominūs enſes
Enſibus: umbones umbonibus: edite, vires
Ictibus in veſtris quantæ. Sic fatus in hoſtem
Irruit, impaſto triduum, prædamq; Leoni
Sectanti, ſimilis. Quoties circumpavit enſem,
Corpora dat letho toties. Se ſubtrahit hoſtis
Continuo cantus, ſæuis & ab ictibus illum
Sylvarum eripiunt umbræ: nunc callidus inde
Spicula contorquet: nunc illectante viarum
Fraude ferax, Comitis gradientia in agmina rum-
Cæde aſt contentus prima, ſe rurſus opacos (pit:
Retrahit in ſaltus: varia ſic ſorte recedens
Accedenſq;, moras, & vulnera multa maniplis
Reddit *Butleris*, *Tuoma* quærentibus arcem.
Hic locus ex una munitur flumine Banna
Parte, lacu ex alia ſpumoſi gurgitis *Eghagh*.
Hic ut in infragili pecudes armentaq; vallo
Clauduntur patriæ: prope ſtat cum milite multo
Ipſe *Nielliadum* rector. Victricibus armis
Huc *Comes* appulſus, pecudes armentaque cogi
Mandat: in occiduo conſiſtens littore Phœbus
Iam properat ſolito feſſos reparare cubili
Quadrupedes, Thetidoſq; ſuo inter brachia
Occulto, rerum terris auferre colorem. (vultu
Hic igitur fœlix armis & Pallade ductor
Ormonius prædæ circumdedit agmina, murum

Vt ſolidum, vetuitq; vltra vexilla moueri:
Namq; quod in tenebris, circum cingenteq; diro
Hoſte, greges tantos ignota per antra ferarum,
Et nemorum ancipites anfractus ducere, durum
Eſſet, luminibus tota dare nocte ſoporem
Conſtituit nullum: ſed dux Vltonius inter
Hæc, facit anguſtos aditus, fauceſq; malignas,
Queis *Comes* intrarat, tranſverſis invia reddi
Sentibus, & vivo non prorſus ſtipite cæſis
Arboribus; circumq; dolos, tacitaſq; locari
Inſidias: quorum factus cum certior Heros
Ormonius, pepulit quam primum poſtera ſtellas
Ex oculis aurora virûm, tentoria tolli
Imperat, & reditum mutans, dat lenta ſiniſtræ
Stagna lacus *Eghagh*. Mutati certa reportant
Tramitis exploratores & rumor *Onello*
Nuncia: par cœli flammis, aut Tigridi fætæ
Evolat exardens, raptaſq; per avia prædas,
Et *Comitem* ſequitur: prope cum contraria cernit
Agmina conclamat, ſocioſq; in prælia dictis
Hortatur validis: erepta armenta, gregeſq;
Monſtrat, & exiguo quam ſurripiantur ab hoſte,
Cum ſua vix capiant horrentes agmina ſyluæ:
Quantaq; præterea paſſus ieiunia miles
Adverſus; quantoſq; viæ, noctiſq; ſopore
Cum nullo tranſactæ, pugnarumq; labores:
Hiſq; malis tantis illum certamine nullo
Affirmat victum. Sed quam deceptus inani

Spe

Spe fuit: in votis *Satrapas Butlerus* habebat
Nil mage, quam stricto pugnã commitere ferro.
Vidit vt hostiles ergo properare catervas
Se raptim versus, prædas iubet Ocyus ante
A paucis duci: lento prælabitur hostem
Ipse gradu. Volitant tã densa per æthra propinqui
Hostis tela; *Comes* quæ contra mittere pubem
Non sinit ardentem lethali aut illita viro
Spicula; vel solidi tormento pondera plumbi,
Aut aliud, miscere viros, & prælia, quidquam
Quod vetet, aut tardet: simulato namq; timore
Illectare suo sperat constantia in arma;
Admixtasq; manus, iaculis ex arcubus actis
Qui soliti latebras, dumosaq; currere in antra.
Effectu ferme caret at sollertia vivax
Hæc *Comitis*. Cornus tantum venere priores
Impete non trepido, districtis ensibus asperam
In pugnam; subito quorum labentia letho
Corpora ut aspicium reliqui, dant ocius omnes
Terga fugæ, pauidiq; retro vestigia flectunt.
Hic *Ducis Ultonie* rursus ferit aurea clamor
Sydera, se, tempus, cœlos, & fata, viroſq;
Sic detestantis: quando hanc, quantoq; cruore
Hostili potero infœlix expungere labem?
Nostra ne contigerat fugientia terga videri
Hos inter cæcos aditus, faceſq; latentes
Sylvarum patriæ? nobis armentane nostra
Auferet invitis quisquam? proh *Iupiter*, ante

Quam foret *Elysij* pulchrum miscerier umbris?
O mihi iniqua dies isthæc: heu fata, poluſq;
Quam mihi non æquus? sed ô ignaviſſime miles
Quam mihi vel cœlum, gravior, vel fata, dieſve
Quo tibi mens abijt? quo virtus priſtina? laudis
Quove amor & decoris? sed ſi te gloria nulla
Tangit, & antiqui remanet non ullus honoris
Reſpectus, cur non ventura pericla movere
Nitaris? hæc æqua ſi fers opprobria mente,
Non prius abſiſtet *Satrapa Ormonius* armis
Te premere, æternum quam te ſubiecerit *Anglo*
Servitio; mihi crede, novas vel quærere terras
Impulerit. Tu tolle animos, atq; accipe vires
Ergo novas, hoſtemq; audax in prælia poſce.
Hinc licet, aut nullam, nobis ſperare ſalutem.
Talia fundebat dux *Vltonienſis*. At undas
Vitat uti *Tantalus*, quicunq; *Capharea* fugit
Argolicum: ſtabuliſq; procul diſcedere ſicut
Non audet, rapidis quæcunque excuſſa rapacis
Dentibus agna lupi: ſic eſt queis cognita virtus
Bellica *Butleri Comitis*, non rurſus in arma
Vltro illũ revocant: revocant, nolintve, velintve
Attamen; & quoties revocant, revocaſſe doloris
Eſt ſibi cauſa: die nam ter funduntur in una
Triſtiaq; incolumes evadunt prælia pauci,
Quos ſua non virtus, nec fortia pectora, tutos
Reddidit, aſt cæcis loca frondibus invia, greſſu
Quo ſe contulerant rapido, quo tardaq; ductor

Ormonius propero nequijt pede ducere signa.
Hic *Comes* in vanum de pluria poscere cernens
Prælia, rauciſonis tuber inſpirare receſſum
Cornibus, & tandem ſpolijs oneratus opimis,
In loca, queis *Proreus* ſervat tentoria, fertur.
Aſt dum iungit equos *Titan* bis, biſque reſolvit,
Vix ſua in auguſtis paritur requieſcere ſigna
Caſtris, hoſtili ſatiatus ſanguine nondum.
Vmbriferas iterum ſylvas, & inhoſpita rura,
In quibus attonitum, victumq; reliquerat hoſtē,
Quærere conſtituit. Villas, caſtellaq; per quæ
Carpit iter, rapido cogit populari igne.
Arx abit in cineres *Flammi Mokarna* furorem
Mulciberis patitur; flammas fumūq; ad Olympū
Mittit *Martini turris*: qua proſpicit Arctum
Hic locus, haud longe diſtans lacus extat anheli
Gurgitis, in medio cuius parva inſula turrem
Arboream cingit. Tanto munimine fretus
Paupere cum gaza multus huc incola fugit.
Vt tamen undoſi ſinuato in margine ſtagni
Ormonij videre ducis vexilla, viroſque,
Vimine contextis lento, corioq; bovillo
Alveolis tranare lacum, mortemq; minantes,
Se dedunt, turremq;. Mover non ſegniter illinc
Signa comes *Magnumq́*, petit pede præpete *Saltū*
Horrendam ſylvis ſedem, penituſque repoſtam
Vallibus arboreis, ubi territa continet hoſtis
Agmina nunc, & quo quando ſpes omnis abeſſet,

Conſuetus,

Consuetus, veluti in non expugnabile vallum,
Currere: sed solo *Comitis* nunc pellitur inde
Adventus terrore. Comes dare tecta, domosq;
Imperat in flammas; & quo compellat *Onellum*
In pugnam, pauco comitatus milite, valles
Advolat umbrosas, quò se contraria fertur
Contraxisse manus: *Comitis* labor irritus autem
Hic fuit: eiusdem corvos, cignosq; coloris
Reddere conatur: laturas poma miricas
Expectat: leporiq; canem dare terga: fretumq;
Terrestres habitare Lupos: Dat semina arenis,
Et sterili æquoreum proscindit littus aratro.
Aspiciunt veluti timidissima turba, columbæ
Cum *Ionis* armigerum pernicibus aera pennis
Findentem, pulloſq; suos, & tecta petentem;
Diffugiunt trepidæ, necnon diversa volatu
In loca præcipiti subeunt: sic horrida postquam
Ora virûm videre, *Comes* queis imperat, ingens
Ultonios subito terror capit; altaq; fusi
Per iuga palantur; quos si cohibere volantes
Dux velit; errantes prius in præsepia retro
Coget apes æstate nova, Phæbeius ardor
Cum siccos exurit agros, pecudesq; ferasque.
Per salebras, valleſq; cavas, saxosaq; syluis
Culmina operta *Comes*, fugientia terga sequendo
Cum latos sentiret equos, fessasq; cohortes,
Nec pugnæ spes ulla foret, monet arma retrorsum
Ferre fatigatas aquilas, augustaq; castra

Visere

Visere: quò postquam delatus cuncta rerexit
Quæ passus, paucos &, quos fuga texerat, hostes,
Amplius impelli non posse ad prælia, totus
Castra movet lætus miles, terraq; relicta
Hostili optatos dudum, subiere penates.
Amphitrioniadem sed quid sua terga paludi
Tam subito *Hybernum Lernea* vertere cogit
Ormoniæ Comitem? multis orbauerat *Hydram*
Verticibus; plures crescunt: dux cærula verrit
Vltonius, Scotosq; petit sibi fœdere nexos
Connubij, celebres atroci Marte *Donaldos*.
Quos tulerit casus, quæ fata, e faucibus ipsis
Vt fati ereptus, fumantia tecta, domosq;,
Vastatumq; solum patriæ, syluasque, lacusq;
Liquerit, effatur: petit auxiliaribus armis
Subveniant; nomenve suum perijsse, genusq;
Prorsus in æternum: cognato fœdere victi,
Supplicibusque viri precibus, tria fulmina belli
Dira *Donaldiade*, propensus ad arma *Iacobus*,
Somurlusq; ferox, sæuisq; asperrimus armis
Durus *Alexander*, magna cum classe profundum
Conscendunt, rostrisq; ratum spumantia findunt
Æquora, & *Hybernas* subiti vertuntur ad oras.
Vt primum sicco curvas in littore puppes
Vincla tenent, uncis & morsibus anchora arenis
Insistit, solida tellure potitus *Onellus*.
Arma, virosq; tuo *decus Ormoniense* furori
Vltoniæ quotquot populata per arva supersunt,

Con-

Convocat, & demptis bis centum millia binis
Pugnantum ducit penetralia in horrida vallis
Concaine : cuncta vacuus formidine, soles
Hic aliquot residet, vicinas perdere gentes
Agmina quaq; die mittens; hoc regius æqua
Mente diu minime potuit perferre senatus.
Est locus *Vltoniæ*, primi celeberrima sedes
Præsulis *Hyberni*, nomen cui *Ardmacha*: feruntu
Huc *Prorex*, *Dariaq;* Comes; studijsq; superbu
Armorum *Ormoniæ Satrapas*, alijq; *Dynastæ*
Præterea insignes. *Scotorum* immissta maniplis
Arma *Nielliadum* mens est invisere, & aspro
Quantũ Marte valent armato expendere campo
Astt aliquot primum præmiserat agmina *Prorex*
Flumina spumigeri versus fluctuantia *Banna*,
Et *Buttulligeri* montis confinia, vastas
Quæsitum prædas, exploratumq; moratur
Rector ubi *Vltonius*. Longo langore viarum
Lassati, nulloq; oneris cum fænore missi
Prædones redeunt; cunctas includere vallem
Concainam patriæ prædas, infractaq; circum
Millia multa virũm, quos est adijsse laboris
Infandi, referunt. Vox hæc prolata tremorem
Castra per immensum peperit ducibusq;, virisq;
Non aliter quã cum circũ stabula alta frementu
Agna Lupos audit, pavet, & si pastor ovile
Pandat, gramineos grex ut ieiunus in agros
Prodeat; illa audet nullos dare corpore motus.

Fæmineæ

Fœmineo ut primum pallentia frigore membra
Militis invictus sensit *Sussexius* Heros,
Protinus armorum primos accire coegit
Ductores, fariq; iubet sententia menti
Quæ sit: in arma viros, & fortia prælia tempus,
In patriosve lares iamdudum poscere monstrat.
Vix ea finierat cuncti cum voce frementes
Conclamant vna, retro convertere cursum.
Et remeare domos animo sibi menteq; fixum.
Nec quid posse aliud: quantos iamiamq; labores
Passi commemorant: hostis numerumq; locūq;
Vel non vincibilem, vel plures poscere contra
Vires affirmant. Timido vix ore loquuti
Hæc: ubi *Butlerus* forti sic pectore ductor
Incæpit: ni vestra meis quassata viderem
Luminibus tanto magnates corda timore,
Non equidem cuiquam narranti credere possem.
Hostiles postquam medios penetravimus agros
Principis & regni tanto cum robore, cursum
Flectere tentamus? quas & quæsiuimus acres,
Nunc pavidi fugimus pugnas: opprobria tanta
Dij procul a nobis pellant: ne linquite victi
Fortia cæpta precor: sed quo cæpistis, alacres
Pergite. *Concainas* fauces, *Vltoniaq;* arma,
(Expertus refero) res non est vincere tanta.
Hæc *Comes*. His belli laus insignissima, *Prorex*
Lætatur; nec non hortari ad pectora dictis
Nititur ipse viros, fractasq; expellere mentes.

Irrita

Irrita ne quidquam sed se cum fundere verba
Multa videt, rabidum flammato in corde dolorē
Occultamq; premens iram, tacito ore quievit,
Eublanamq́; animo reditum parat. Obstitit orsis
Rursus at *Ormonie Satrapas* sic. Solus *Onello*
En ego cum paucis huc me comitantibus ora
Ex patria, reliquus quamvis exercitus omnis
Deserat, occurram: mihi tellus ima dehiscet,
Pallentesq; prius tenebrarum vivus ad umbras
Raptabor, (testes promissi sydera sunto,
Cœlicolûmq; cohors) mea quâ fugientia cernā
Terga, in *Brutigenas* quisquâ qui mouerit arma.
Talia dicta dedit: fera vix sed suppressimit ora,
Ecce ruunt circum denso cum læta iuventus
Concursu *Butlera*, poliq; cacumina pulsant
Aspera Mavortis poscenti prælia voce.
Mox ubi se toto divisos agmine apertum
In campum retrahunt, ventis iactanda sonoris
Dant signa, & vultu spectantes arva cruento
Hostica, fraxineas vibrant ingente sarissas
Conatu; & strictos supra capita alta coruscant
Mucrones. Animum nunc mutat, summaq; p
Gaudia concipiens, *Butleros* laudibus astris (
Euehit. *Ormonius* castris proficiscitur, atq;
Omine *Concainus* fausto deferitur ad umbras.
Hic ne non cautum cæcis ambagibus hostis
Callidus invadat, nec opinaq; cogat in arma.
Ante tenebrosæ subijt quam vallis apacos

Angustos

Anguſtoſq; aditus, certo conſiſtere turmas
Ordine compulerat, qualem ſinuoſa viarum
Semita poſcebat: peditum ſtans ipſe priori
In fronte auratus galea, cinctuſq; decoro
Enſe latus, lævamq; ignes vmbone micantes
Qui vomit ornatus, pede dirigit agmina læto
Per ſylvas, dumoſq; atros. Sydonius audax
Quantus *Hyperboreas* ductor pertranſijt Alpes:
Imo *Biſtonys* exultat quantus in agris
Ipſe Deûm terror *Gradivus*. Rumor *Onello*
Cum tulit *Ormonium* ſaltus intraſſe nefandos,
Nec diſtare procul vivaces erigit iras,
Et velut *Armenios* immanis bellua montes
Quæ colit, amiſſo tigris cum concita fœtu
Fulmineo ſequitur prolis veſtigia curſu,
Si prope cum catulis fugientem viderit hoſtem,
Gaudia flammato miſcentur ſumma furori.
Vltonius ſic dux (armis fiducia tanta,
Auxilijſq; novis, odia inteſtinaq; tanta
Nutrit in *Ormonium*) quos perdidit ante ſiniſtro
Marte, nihil dubitans ferro reparare decores,
Lætitia exundat: vincendi ſola videtur,
Quod nondũ ſteterit acies mora: vocibus ergo
His animos ſtimulat venientia ad arma: parate
Tela viri: iam tempus adeſt (modo fortia nobis
Pectora non deerunt,) accepta opprobria nocti
Quod dabit æternæ, veſtris ductore perempto
Ormonio telis: furvos luſtrare receſſus

Hos

Hos audet solus, nostrasq; lacessere syluis
His iras. Solum stigio si liba tyranno
Vestra fera virtus, æterna pace fruetur
Clara *Niellidum* tellus. O terq; quaterq;
Fausta dies, secum portet quæ talia. Vires
Ergo augete: graves vincant ventura labores
Præmia pulchra: miser dignas exuscitet iras
Hic status. Absumptæ flammis hostilibus ædes
Corruerant nostræ: nullas castella tuentur
Diuitias æquata solo: quam pauca per agros
Se pascunt armenta? scabro non vomere sulcat
Multus arator humum: securos carpere somnos
Non ipsi finimus: de totis flumina terris
Excipit ut pontus: tamen exatiarier ullo
Non humore potest, solido dum parvulus orbi
Succus inest: veluti non unquã alimenta recusat
Flamma rapax, sed quo data maior copia, posci
Maiorẽ, multoq; vorax mage fomite cuncta
Sic ferus *Ormonis*, qua nescio plenus *Erinni*,
Quove furore, Comes, nobis non hospita præter
Hæc deserta, nihil, tenebrosaque lustra ferarum
Liquerat: at nondum diras satiaverat iras.
Ipsa nequit tantum nobis fortuna nocere,
Ille cupit quantum. Vestros hæc erigat inquam
Vltrices feritas animos, & tela parate,
Stat manibus finis tantorum extrema laborum.
Hæc dux. His ingens armorum fervor & ira
Militibus seritur, tumefacto sanguine corda.

In flammas abeunt, Arrectis auribus arma
Adverſa expectant. Nil non ad prælia promptũ
Expediunt rapidi, Corito ſumitur arcus,
Et bina extento curvatur cornua nervo.
Ex pharetra tinctæ viro, tripliciq, ſagittæ
Horrentes hamo promuntur: Caſſida nodus
Sericeus mento ſubnectit. Cetra ſiniſtras
Obtegit. Herboſa fixas tellure bipennes
Corripiunt manibus: Crudelis tegmine mucro
Nudatur: ſtygium tormento ſulphur aheno
Includunt Plumbumq; rapit *Vulcania* linum
Munera; & *Eolidum* iactantur flamine ſigna.
Non minor *Ormonium* furor, & flammata cupido
Pugnandi per ſaxa trahit, perq; invia luſtra.
Ceu per longinquũ voluc:ris rapidiſſima tractũ
Aeris ut miluus ventorum flatibus actos
E putreſcenti viſcoſos corpore odores
Accipit, omnivagas extemplo concitat alas,
Ætheraq; ingreſſus, nil imbres, fulgura, coros,
Nil nivis horriferæ, gelidos nil grandinis ictus
Ponderat, aut curat, fætentes donec ad artus
Pervenit: *Ormonius* ſtudio veſtigia ductor
Concita perſimili figit, qua ducit in hoſtem
Semita. Iam ventum procul haud exercitus vnde
Cernitur hoſtilis, numero bis, pluſq; catervas
Ormonij ſuperans: nam quantum deficit hoſti
Millibus e binis, tanto *Butlera* iuventus
Vno mille minor: *Comes* hæc ne forte pavori

Imparitas immensa suis foret; aggere fultus
Sublimi hæc fatur: fortissima pectora vellus
Auratum vultis, *Colchos* quod *Iasona* quondam
Argolicosq́, alios ignotis quærere ventis,
Per mare & ignotum, non ullis ante carinis
Sulcatum illexit? tumidi non numina ponti,
Nec ferus *Hippotades* vobis hæc gaudia differt.
Non opus ignivomos magicis sopire Dracones
Artibus est *Medæa* tuis: en colchica regna
Proximus ô socij campus: *Phryxea* potestis
Vellera, perpetuos hinc asportare decores.
Ergo animi crescant, maioraq; pectora magna
Evadant: numerus vos ne deterreat impar
Pugnantum: nostro præter quod milite plures
Vix locus hic poscat: bello cui notior hostis?
Quem toties validi superastis vincere durum
Quid nunc: antiquum minimo crudescit ab ictu
Vulnus: inhærentes memori, confidite, vestras,
Quas sunt experti, servant in pectore vires,
Fermidantque: moror sed quid certamina? ferrũ
Stringite: per medios qua confertissima turba,
Est iter, & testem me non dubitate, ducemque:
Sic fatus validos fert in contraria gressus
Agmina: spes *Troũm* quali *Priameius Hector*
Robore, *Pergamea* erumpens e mœnibus urbis
Arma *Phrygum* ducit, flammis, facibusq; carinas
Vsturus *Graias*. Acies iam separat ambas
Cæspitis exiguum: conspirant cornua rauco

Inter-

Intermixta ſono; ferit altas buccina ſedes
Cœlicolûm; vaſto poſcenti prælia miles
Exuperat clamore tubas: non voce popoſcit
Cyclopas maiore *Tonans* nova tela, ſtruentes
Vidit ut Angnipedas regna ad cœleſtia ſcalas.
Incipit a iaculis, vectoq; a ſulphure plumbo
Pugna, ſed hic iaculum iaculo prius ordine nullũ,
Nec plumbũ plumbo, denſus ſed nimbus utrinq;
Telorum, plumborumq; unà, ut ſaxea grando
Funditur: ex oculis ignitus ſydera fumus
Eripit, & furvis conduntur cuncta tenebris:
Totius haud aliter quã cum duo lumina mundi
Aut caput aut caudam ſuperi tenuere Draconis:
Aut cum *Tantalidûm* fugiens convivia fratrum
Phœbus ad *Eoas* currum revocaverat oras.
Non tamen interea ceſſarat miſſile miles
Spargere: multa virûm cædes committitur atrã
Per nubem: nigris non vaneſcentibus umbris,
Ad ſtrictum veniunt ferrum; dextraſq; cruentas
Immiſcent; pars magna neci datur: ipſa ſuorum,
Sic furor impellit, poſtrata cadavera ſævis
Proculcant pedibus: ſpatium vix ictibus inter
Pugnantes: valida non cuivis morte perempto
Continuo cecidiſſe datum: ſtant mortua vivis
Corpora corporibus ſuffulta: fabrilibus armis,
Verbere & innumero ſic frondes inter opacas
Ardua cum morus truncum deperdit, humoq;
Nulli connectunt nexus; ſtans ruſtica circum

Turba ſtatim terris caſuram ſperat, at illa
Proceris innixa quibus circundata ramis,
Fixa manet, vivis ut cum radicibus hæſit.
Neutra referre pedem, feruenti aut cedere pugna
Molitur: parili ſtudio, pariliq; furore
Vtraque pars pugnat: palmam cui tradere belli
Arbiter ignorat *Mauors*: ceu fortia venti
Prælia cum miſcent æquali & cærula volvunt
Robore, quæ medijs iactatur fluctibus, & cui
Fræna remiſſa, ratis gelida non tendit ad arctũ,
Littora non verſua, nimboſum turbidus unde
Africus emittit flamen, nec ad Æquora, Titan
E quibus emergit, tenebras cum dimovet orbi,
Aut quibus occulitur, nebuloſa cubilia noctis
Cum ſubit: huc, illuc pugnantibus acta ſed undis
Gurgite in immenſo multos torquetur in orbes.
Non aliter valido dum pugnat miles utrinq;
Mavorte, & tepido conſpergit tela cruore
Ictibus alternis, utri victoria, neſcit.
Debita ſit parti, dubijs & fluctuat alis:
Nunc *Ducis Ormony*, nunc *Vltonienſia* lauro
Signa triumphanti ſtatuens decorare. Suorum
Ingentem aſpectans cladem; frigere nec hoſtis
Pectora, ſed fuſo reparari ſanguine vires,
Colligit *Ormonius* rabiem, ſocioſque maniplos
Vocibus increpitans tumidis, hamataq; criſpans
Tela manu circum; dat verbera cruda: boantem
Loricæ, umboneſq; edunt pulſata fragorem.

Qualis

Qualis ab Ætneo ſonitus vicina fatigans
Arva ſpecu fertur, cum nudus membra *Pyracmon*,
Et *Steropes*, *Bronteſq;*, tui *Vulcane* miniſtri,
Arma *Iouis* fabricant: cuneata fatiſcere dudum
Hoſtilis cæpiſſe acies. Iam brachia pleno
Verſat circuitu miles *Butlerus* et enſem.
Prælia iam ceſſant, finiſq; nouiſſima pugnæ
Venerat. Atra virûm ſed iam ferveſcere ſtrages
Incipit: *Vltonius* nam nunc fugientia ductor
Terga dat, & comites belliq; fugæq; per umbras,
Ruraq; palantes paſſim perimuntur inulti.
Impete ceu vaſto pluvialibus imbribus auctus.
Amnis in arva ruit, tumidas & margine lymphas
Eijciens ſolito, ſegetes, pecudeſq; viroſque,
Nec non ſpumanti rapit obvia flumine ſaxa:
Non ſecus *Ormoniæ Dominus* ruit: Ordine nullo
Stare iubet ſocios, rapidoq; per avia greſſu
Currere, & a ſylvis fugientem avertere turbam
Imperat; ipſe acer, fatali proxima ferro
Quæq; metit: triſti feralia funera campo,
Edit, te ſolum dux Vltonienſis & acres
Marte *Donaldiadas* quærens: extrema ſorores
Stamina veſtra tamen nondum nevere: propin-
Faucibus eripuit læti nemus: aſpicit umbrâ (quû
Quos ubi *Butlerus* ſubeuntes ductor opacam,
Regreditur triſtis, ſed mixta eſt ira dolori:
Quod vitâre duces, horrentia vulnera ferrum
Militibus figit, campoq; rubentia fuſo

Ora cruore parit. Fausto dum Marte geruntur
Hæc duce ab *Ormonio* iubet ad confinia vallis
Concainæ binas turmas contendere Prorex;
Quo vectis quadringinti de milite Scoto
Occurrere fero ferro, manibusq; cruentis
Ormonij erepti, *Ormoniumq́*, ut cerva Leonem,
Vt *Iovis* armigerum penna trepidante Columbæ,
Vitantes: sed quid miseros latrantia *Scyllæ*
Et monstra, & rabiem iuvat effugisse: voracis
Ecce impinguntur non cauti in saxa *Charibdis*.
Ceu non imprudens venantum turba, sonanti
Ore canes quando densis e saltibus aprum,
Sanguineumve lupum pellentes audit, in umbra
Abditur, ad tacitas donec fera concita fraudes
Pervenit, & medijs est circumcluſa molossis.
Anglus eques pariter tristem linquentia vallem
Agmina ut aspexit, novitq; hostilia, primùm
Sistit equum; campo mox liberiore recepta,
Et procul a sylvis cernens, animosus habenas
Laxat, & æratis fodiens calcaribus armos
Progreditur, feriturq; viris, omnesq; cruentis
Ictibus interimit. Vacuas nunc hostibus umbras
Deserit *Ormonius*, viridanti & tempora cinctus
Daphnide *Proregem* petit, & victricibus armis
Regia ad augustum comitatur signa senatum.

ORMONIS

Liber tertius.

TOt nunc *Ultonius* clades, tot funera ductor
Perpessus, totiesq; tuas invicte *Dynasta*
Ormoniæ vires, & dextera fata cruento
Mavorte expertus, læsis diffidere rebus
Incipit. Attonito sed spem quod surripit omnem
Ecce aliud: belli comitum, (*Titubante fatiscit*
Fortuna plerumq; fides) pars maxima ferrum
Concussi abijciunt animis, tandemq; furorem
Martis abhorrentes, veniam statuere precari,
Augustoq; iugo parentia subdere colla.
Sic tibi *Romulidûm genitrix, post Martia *Pauli* * Roma.
Fata ad spumantes *Romano* sanguine *Cannas*,
Defecit *Samnis*, mox *Brutius*, *Apulus* inde,
Hirpinusq;, *Atella*, *Croton*, *Galatia*, *Celtæ*,
Et *Locri*: & Capuæ trux incola mœnia *Pæno*
Victori pandit, victriciaq; arma sequutus.
Se tam multiplici prostratum vulnere rector
Vidit ut *Ultonius*, nec spem superesse salutis

Vllam aliam cernit, fracto regalia collo
Fræna capit, veniamq; orat, crudelibus ira
Non oblita licet venis; & pectore fixum
Sit, mox armorum, belliq; movere tumultus.
Ceu cum flammigeris pugnantes ignibus undas
Ignem. Fictilis olla tenet, Vulcaniáq; arma ministri.
Expediunt alacres: innatum perdere frigus
Lympha diu obsistens, inimicum victa calorem
Admittit tandem: glacialia semina nunquam
Attamen amittit: secus haud Vltonius heros
Vsq; animis idem, tenet alta mente repostas
Dextera queis supplex, & vox nunc abstinet, iras.
Ormonie hinc Satrapa, decor immortalis, honor-
Sed non ulla tibi requies, finisve malorum (que,
Nascitur; ut thalamo quæ præsidet alma iugali,
*Iuno. * Diva, novis nunquam tentando fessa periclis
Herculeum robur: sic tellus hoste recenti
Te premit Vltonia æternum. Vix horrida ponit
Bella Niellizdium, cum non levioribus ardet
Antæus. Motibus. Aonio luctator ab hospite fusus,
Qua genitus, tacta reparat tellure lacertos:
Sic Hebrydum gens dura armis, animosa Donaldi
Proles, Concainie devicti in vallibus, arva
Vt patria attigerant, nervosq; animosq; priores,
Accipiunt, iterumq; faces, & tela sinistra
Vertere in Vltonian statuunt. Huc ipsa Deorum
Illos iussa vocant, stimulosq; furentibus addunt:
Nam Pater Omnipotens Butlerum nomen ad astra
Tollere,

Tollere, & æterno decus exercere labore
Ormoniũ meditans, cernensq; æffrena *Donaldum*
Pectora quòd nullæ p[illegible]stes, & nulla docere
Damna queant, laxas illis dimittit habenas,
Et dementatis accendit cordibus iras.
Ergo ubi Boræos regni ceſſare tumultus
Aſpicit, & placida poſitos in pace *Niellum*
Ductores, nato, ſuperûm qui dicta per auras
Portat, & anguifero munitus vimine, ſedes
Viſitat infernas, & manes evocat *Orco*,
Præcipit hæc: *Zephyros* aſſuetaſq; arripe pennas
Nate citus: Scoto iacet inſula multa profundo, *Salo.
Appellant *Hebrydas*: properantẽ huc dirige cur-
Et *Donaldsadas*, ad quæ certamina poſcunt, (ſum,
Exhortare, tuaq; adde ignescentibus arte
Flammas, maiorum laudes, & facta canendo.
Dixerat: ille celer magni mandata parentis
Exequitur: ſtygia primum ſede ſororum,
Infernisq; ciet tenebris lachrymabile monſtrum
Alecto, belli matrem: mox *Hebridas* ambo
Advectantur: ibi iactantes multa *Donaldos*,
Et diverſa vident: alij *Mavortia* damnant
Prælia, & exhauſtos adverſo *Marte* labores,
Damnaq; cõmemorant, nec plus confidere bello
Iam fas, auxilium præſtare ſubactus *Onellus*
Cum nequeat: validis alij contraria ſuadent
Vocibus: aientes *Hyberno Marte* pudorem
Acceptum, ſolo deleri ſanguine poſſe

Hyberno

Hyberno, & pulchrum ſubitam per vulnera monſ
Quærere, & amiſſo maculatam nomine vitam
Perdere, ni ſuperis revocare opprobria fauſto
Sit placidum ferro. Dum ſic certatur utrinque,
Littore in occiduo merſit candentia *Phœbus*
Plauſtra, & *Letheo* redimita papavere frontem
Nox veniens, conſulta ducũ imperfecta ſequenti
Diſtulit in lucem: ſed non ſua munia differt
Mercurius; dum cuncta ſilent, dum *Delius* arv
Antipodum luſtrat, placidum dum teſſa ſopor
Corpora per terras carpunt, ille impiger omne
Circuit Heroas, cautumq; excogitat aſtum.
Sex decies denos, ter milleq; *Cynthius* annos
Cum vix finierat iam prima ab origine mundi,
Progenitoris Hybernorum. Bis tria *Miletij Mavortia* pignora linquunt
Littus *Iberiacum*, & multis cum navibus æquor
Conſcendunt; longis agitati fluctibus oras
Intrant *Hybernas*, *Graioſq;* potentibus armis,
Inclite *Dela* tuam, genus indelebile famæ,
Progeniem tellure fugant: regalibus ipſi
Faſcibus invicti multis potiuntur ariſtis. (ga
Hinc *Hebridũ Satrapæ* genus alto e ſanguine, lo
Perſeiem, ducunt *Erimonis*: *Athlantida* natus
Hunc ergo illuſtrem referens Heroa, quietem
Nobilium turbat; Satrapaſq; in prælia dictis
Talibus accendit: mea quid dilecta propago?
Luminibus placidũ poſt tanta opprobria ſomn
Carpere cura ſinit? dubitatis quærere ferro

Hybernos

Hybernam rursus terram? amissosq; decores
Vel reparare acri, vel vitam fundere pugna?
Mi tam degeneres quanto est genuisse dolori?
Siccine proh sinitis per sæcla quaterna *Britannos*
Fascibus *Hybernis*, regnoq; potirier? heu heu
Quid mihi conducit mordacia vincula arenis
E *Tarteſſiacis* solvisse, atque omnia circum
Æquora, tellurem, toto procul orbe remotam,
Illam pugnanti iactatis flamine velis
Quæsiuisse? iuvat quid quod tot tristia passus,
Meq; tot obieci *Danaos* vincendo periclis?
O si terrenam mihi fas assumere molem,
Antiquasq; iterum, non exorabile numen,
Donarent *Parcæ* vires, *Hybernia* quisquam
Non mihi te raperet, raptamve teneret inultus.
Quis per mille neces, & mille pericula, tanta
Præmia non poscat? *Cereri* ut vix gratius ullum Laus Hy-
Machina vasta solũ complectitur, omnia molli berniæ.
Gramine sic superat: nimio non aeris æstu
Insula torretur: duræ excedentia brumæ
Frigora nec sentit, mistis cum frigore flammis
Temperiem sortita, favis non cedit *Hymetto*,
Aut *Hyblæ*: pecoris toto non ditior orbe
Terra est: innumeri passim per amæna vireta
Excurrunt varijs fœcundi piscibus, amnes:
Accipitres, nisos, falcones, quæq; feruntur
Fulmina ferre Ioui volucres, reliquasq; volantes
Omne genus, numero nõ vsquã est carnere tanto.

Tanta

Tanta (venenosas præter, quas Insula nullas
Illa fovet) nullis reperitur turba ferarum
In sylvis: ferri, plumbi, argentiq; fodinis
Gleba scatet. Firmate animos, muliebria nati
Ponite corda procul: celeres date carbasa venti
Amplius & nostri ferro prohibete laboris
Fruge frui *Angligenas*: augmentent talia vires
Præmia: ut alterne Satrapas his vocibus Herm
Affatus, linguam reprimit, motisq; per umbra
Cœlicolùm repetit pernicibus atria pennis.
At fata nocte caput vesanis cincta colubris
Virgo viros inter remanet, terrisq; moratur
Paulisper, rabida iaciens e fronte profanos
Serpentes, tacitum præcordia ad intima virus
Dum subdit, cæcumq; imis serit ossibus ignem.
Iam madidas excussa comas aurora cubile
Tithoni liquit senis, & frigentibus orbem
Exuit orta dies tenebris, cœloque fugarat
Lucifer astra: sui rebus rediere colores;
Iamq; malum penitus furiale in viscera lapsum
Excutit Heroum somnos, stratoq; furentes (ce
Eijcit. Arma amens subito fremit, armaq; pr
Quisq; rapit: bellorum omnes furiata cupido
Par tenet, & paribus conflagrant pectora flãm
Plælia iam nullus damnat, nec tristia quisqua
Arma movere vetat, ventura aut dãna moratu
Sed se certatim cuncti exhortantur in arma.
Ceu qui nimbosi perpessus numinis iras,

Scyllam

Scyllæam nuper rabiem, penituſq; ſonantes
Evaſit ſcopulos, horrentia ſaxa *Cyclopum*,
Nauta, ut ſacra fames, & non ſatiabilis unquam
Auri amor accendit venas, & viſcera torret,
Immemor elapſi caſus, pontiq; minantem
Horrorem oblitus, ſpumantia cærula tentat
Rurſus, & extremos ad non remeabilis *Indos*
Carpit iter velis: *Hebridum* ſic agmina (poſtquã
Impia virgo faces portentificumq; venenum
Pectoribus fixit, totoſq; incenderat artus)
Quod victi fugere ſolum, iam inviſere fervent
Hybernum, ductorq; tuas *Ormonie* vires
Perpetuo ipſorum flagrant expendere damno.
Nec furor hic ſolos magnates occupat; atra
Nam Dea in imbelli ſævit furialia vulgo
Toxica: iam tauris iuga durus ſolvit arator,
Et qua ſtiva regi ſolita eſt, iam corripit enſem
Agricolæ non docta manus: iam vomer & omnis
Ceſſarat *Cerealis* honos: iam paſtor advncum
Pro mucrone pedum mutat; armenta bubulcus
Deſerit: artifices artem aſpernantur, & arma
Arripiunt: genus omne viri (quid ſingula pandã?)
Improviſi adſunt ducibus, *Martemq́*, fatigant.
Ex his ter centum decies armata leguntur
Pectora, & *Hybernis* adverſa ad littora curſu
Volvuntur rapido; ſed vix mordacia arenis
Vincula ſolverunt, trabibuſq; levare rudentes
Et canas curvo ſpumas ſalis ære ruere,

Cum

Astraea. Cũ *Iovis* & *Themidos* proles pulcherrima summ
Labitur axe poli : medijsq; in fluctibus ante
Ora virûm sistit, sacroq; hæc ore profatur :
Quo ruitis vesana cohors ? Dementia tanta
Quæ tenet aut animos? contra fas omne mover
Arma quid impellit ? genus alto a sanguine reg
Quondã *Hybernorũ* trahitis. Quid? fascibus *Angl*
Num monet *Hybernis* hoc ut privare paretis.
Sceptra dedere *Anglis Henrico* rege secundo
Hyberni, placidiq; iugum subiere perenne.
Hocne movere iugum, revocare aut sceptra pa
Quæ tribuere, licet proli? pro talibus ausis (rent
Vos condigna manẽt, mihi credite, præmia: virg
Hæc effata silet, minitans & lancibus astra
Advolat. Hic trepidare viri cæpere : tremore
Sensit ut hunc volitans inter *Cocitia* naves
Diva, quod includunt Heroum corda venenu
Sopitum, de fronte novis serpentibus actis
Excitat, expulsoq; metu procul omnibus indit
Insanam *Martis* rabiem, sævumq; furorem.
Neve quid accensas possit restinguere flamma
Ecce aliud : tumidis mulcet qui concita coris
Æquora *Cæruleus* genitor, *Tritona* sonanti
Inspirare iubet concha, neu nescia fati
Flamina ab *Eolijs* totum miscentia pontum
Carceribus veniant, motiq; in gurgite fluctus
Retro rates agitent, optato & littore longe
Semoveant. Velox spumantis iussa *Tiranni*

Squame

Squameus exquitur tubicen. Vix buccina ſignum
Præbuit, *Hyperades* furvo cum protinus antro
Clauſit nimbioſis fœcundum fluctibus *Auſtrum*,
Cumq; tuis præceps horrentibus *Africe* nimbis,
Quicunq; occiduo ſpirant a vertice flatus,
Aſt *Euro* & *Borea* mulcentibus imperat auris
Currere in Oceanum, nubeſq; expellere cœlo.
Olli iuſſa citi peragunt, leviterq; volantes
Æquora vaſta ſuper, properanti flamine lætos
Vltonie volvunt fatalia ad arva *Donaldos*.
Extemplo *Encelaáſ* volucris germana per agros
Evolat *Hybernos*, hoſtiliaq; arma, duceſq;
In regnum veniſſe canit; contentaq; nunquam
Vero diva, gradu gliſcit: quacunque cietur,
Terrificis hominum pulſat rumoribus aures,
Concretũq; quatit ſtupefacta per oſſa cruorem.
Inter at hæc validi proceres, regniq; ſenatus
Conſilijs, animoq; potens, non ſegniter unana
In ſedem accurrunt, hoſtiſq; immania cæpta
Quo prohibenda modo, matura mẽte revolvũt.
Vltima ſed tandem ſic ſtat ſententia: cogi
Arma, viroſq; placet, ſubitoq; laceſſere ferro
Hoſtẽ inopinantẽ, primaſq; extinguere flammas:
Se mox ergo parant *Prorex Suſſexius Heros*,
Nec non *Ormonie Comes*, inſigniſſima belli
Gloria, & *Auguſto* comitanti milite tendunt
Vltoniam verſus: ſylvis horrendus, & umbris
Eſt locus *Vltoniam* Borealia ad Æquora iungens,

Nomine

Nomine *Glinarmius*; vox armis valleq; ducta,
Armorum *Hyberno* signans idiomate vallem.
Hac *Donaldsadum* ductores agmina valle
Fessa fovent, & se ventura ad prælia promptos
Expediunt: didicere etenim, gaudentq; cohortes
Illuc Augustas flammato pergere gressu.
Has at ubi iuxta Satrapas *Tiperarius* umbras
Eligeret toto regali ex agmine signa,
Quæ secum *Scoticis* pugnatum heroibus irent,
(Namq; *Carigfergo Prorex* & cetera pergunt:)
Exploratores ex horrescentibus umbris
Iam retrogressi, subito ducibusq;, viriſq;
Ingentem plerisq; metum, horroremq;, pavorem
Incutiunt: adeo diris in faucibus hostem,
Invictoq; virum muniri robore fantur.
Vt primum *Herculei* vivax imitator honoris,
Butlerius dux corda metu exhorrescere sensit
Militis: insurgunt iræ, tacituſq; trementum
Sevit in imbelles animos. Mox talia profert
Ore indignanti: vestrum si invisere quisquam
Armorum metuit valles, *Hebrydumq;* cruento
Marte feras acies: illi discedere castris,
In patrioſq; licet retro remeare penates:
Quam non mens spondet, vix palma acquirit
Viribus; audaces victrici *Daphnide* solos (ut
Sors plerumq; ornat: quam non fiducia certa
Ergo tenet, dubiæ ne se committere sorti
Aut pudor, aut quidquam compellat: inutilis

Eſt pudor, & vanus: quicunq; aſt ire periclis
Ad decus, & laudes, (memori quas eximet ævo
Nulla dies) audet, duce me, ſocioq; nigrantes
Glnarmi advolitet ſaltus; ire obvius hoſti
Cum paucis, patria qui me comitantur ab ora,
Haud certe dubitem ſolus: victoria vires,
Non numerũ ſequitur: plures perſæpe columbæ
Præda uni fiunt aquilæ: Cerviq; leonem
Affugiunt unum multi: ſic fatus ad omnes,
Butleram Auguſto propere iubet agmine pubem
Cedere, & hoſtiles per proxima quærere turmas.
Olli iuſſa ducis peragunt; ſocia arma volantes
Linquunt, & læti, qua proxima ducit in hoſtem
Semita, ſigna movent. Non illis ſegnior ipſe
Dux eſt; *Proregem*, reliquoſq; ex ordine primos
Ductores, abitum monſtranti voce, ſalutat;
Et celeri provectus equo, ſua ſigna, viroſq;
Proſequitur. Summis abeuntem laudibus aſtris
Evehit, æternus fama, *Suſſexius Heros*;
Extemploq; quibus princeps ſtipendia ſolvit,
Quotquot caſtra fovent, mandat velocius *Eurũ*
Invictum per rura ducem, per ſaxa, per umbras,
Magnanimamq; ſequi pubem, regnoq; vel hoſtẽ
Pellere, vel pulchra validos occumbere morte.
Olli *Proregis* non auſi iuſſa morari,
Procedunt volucres caſtris: hoc cætera poſtquẽ
Heroumq; ducumq; manus videre, paventum
Firmari incipiunt animi, tandemq; pudore

Devicti, properante legunt vestigia cursu
Ormonij: celsa leo ceu de rupe molossos,
Venantesq; procul armatos agmine denso
Adventare videns, & se non cernier ulli
Credens, in sylvas paulatim cedere tentat,
Et dare terga fugæ: sed cum fugientia sentit
Terga videre canes, animos exasperat, iras
Erigit, & præceps, intorti fulminis instar,
Hostibus occurrit: secus haud heroibus illis,
In quibus algenti iamiam formidine sanguis
Concretus, nunc corda pudor, viresq; ministrat.
Sed quanquã rapidi volitent, nusquãq; morẽtur,
Non prius *Ormonium* poterant prævertere, venti
Quam fuerat medias armorum vallis in umbras;
Inter ubi cæcas fauces, adituſq; malignos,
Insidijs, belliq; dolis, & fraudibus aptos,
Planities ignota iacet, vastiq; recessus,
Queis *Hebridũ* clypeata cohors, armenta gregẽ
Seposuere suos, regalia ut agmina primum (quæ
Se petere audierant: armato & milite circum
Cingebant ipsi sylvas, & iniqua viarum
Limina Stipabant: sed cædis tanta cupido,
Armorumq; lociq; adeo munimine freti,
Vt per inaccessos aditus, perq; invia lustra
Augustos intrare duces, regaliaq; arma
Vltro permittant, omni absque moramine, tutos
Ormonius vasto numerosum in fornice passim
Cum pecus aspiceret, nullo tutante, catervas

Nor

Non procul hostiles cognovit abesse: sagacem
Ergo astum socijs, colludiaq; hostica pandens,
Ordine cuiq; suo cautum consistere mandat:
Nuncq; animis opus esse refert, nunc affore tem-
Quo, nisi quã fortis lucretur dextera, nulli (pus
Expectanda salus: vincentibus inclita porro
Præmia proponit: decus indelebile, tantis
Si patriam valida rapiant virtute periclis.
Plura locuturus, subito videt undiq; cæcis
Hostem emergentem foueis, magnoq; ruentem
Impete se versus: veluti ieiuna Luporum
Turba, ubi, quæ tota nocte insidiatur ovili,
Mane greges, stabulis amotos, pascua cernit
Quærere, lætatur, rictuq; accurrit hianti:
Sic *Donaldiadum* manus insignissima bello,
Sylvarum, armorumq; dolis, & carcere postquã
Obsessos videre duces, & regia signa,
Lætitia tumuere animos, pugnamq; furenti
Cursu, & voce petunt. *Comes* hic in prælia rauco
Imperat ære ciere viros, & tendere in hostem.
Non mora; clamoresq; virûm, clangorq; tubarũ
It cœlo, geminantq; sonos saltusq;, cavæq;
Convalles, scopuliq; gemunt, stragẽq; videntur
Venturam plorare: pari pars utraq; nisu,
Effræноq; furore ruunt; ceu cornibus ante
Porrectis rapido concurrunt turbine tauri,
Cum petitur pugnæ pretium nitidissima coniux.
Funera prima facit telorum turbida cœlo

Tempestas utrinq; volans, & plumbeus imber,
Pulvere devectus flammato: obtexitur umbra
Æther: vixq; suum quo spargit missile miles
Percipit: at postquam districta ad verbera ventũ,
Et vanescenti rediens lux pristina fumo,
Quos feriant docuit, dedit & dignoscere vultus,
Quanta virũm strages? quã tristis & aspera pugna
Surgit? quot valido sternuntur corpora letho?
Irriti eunt ictus nulli: cooperta videri
Sanguine terra nequit: prostrata cadavera, cædis
Ardentes, calcant pedibus: par possidet ambas
Et furor, & virtus acies: ut gurgite pontus
Alterno currens, nunc terram & littora vastis
Fluctibus advolitat, spumamq; superiacet altas
Rupes, nunc rapidus retro; & revoluta resorbens,
Æstu saxa, fugit, terramq; & littora linquit.
Sic vice mutata, nunc huic victoria parti
Cedere, nunc fertis decorare virentibus illam
Molitur: crudo certantes utraq; *Marte*
Dum pars terga fugæ laxatis vertere frænis
Hostem alternatim cogunt: bis *Scotica* miles
Egerat *Augustus* frondentes agmina ad umbras
Incola bis *Hebridum* revocato pectore sylvis
Emicat, & cuneis adversa fatiscere laxis
Cornua compellit, versosq; referre maniplos.
Tertia at unanimes congressi in prælia, mentes
Abiecere fugæ, totisq; in vulnera sese
Viribus effundunt alacres, in utrumq; parati,

Aut pugnæ palmam victrici acquirere ferro,
Aut pulchrum propere profuſo ſanguine lethum.
Hic ubi *Butlere* laus inſigniſſima ſtirpis
Advertit, nullis hoſtem ſuccumbere damnis,
Anteq; bis victum, nunc acrius arma movere,
Totus inardeſcens ira, irarumq; tumeſcens
Fluctibus, exclamat, ſocioſq; his increpat: unde
Debilitas hæc: unde animis ignavia ſurgit
Tanta viri? toties fuſos obſiſtere vobis
Heu pudor, heu labes? manus ô invicta pudorẽ
Hunc arcete, ictus geminate, iter ocius armis
Pandite per medios, finemq; imponite pugnæ:
Talia vociferans, horrentia verbera diro
Dat circum: quemcunq; ferit mucrone, cruentæ
Telluri exanimem ſternit, ſomnoq; perenni
Deſtinat. Invicti ductoris protinus omnes
Exemplo, inſtaurant animos, tã crebraq; figunt
Verbera in adverſos, nullam ſperare ſalutem
Vt *Donaldiade* pugnando hinc amplius auſint.
Ergo terga citi vertunt, pedibuſq; trementes
Se credunt: parva quamquam tellure comantes
Abſint ſylvarum latebræ, cæciq; receſſus,
Optantur; ropiora; nimis ſemota videntur.
Soli quiſq; ubi metuit; non triſtia patris
Natum, nec prolis remorantur fata parentem:
Non *Pythæ Damona*: ruunt nullo ordine ad um-
Spumea non aliter corradẽs cærula puppis bras.
Non procul a portu, caſu, cum corripit ignem,

Clamosum nautæ mittunt ad sydera murmur,
Perq; salo immissas religatis funibus urnas,
Quantũ quisq; potest, lympharũ e gurgite tollũt,
Conanturq; undis rapidas extinguere flammas:
Ast cum *Vulcano* sparsos superante liquores,
Iam malus, iam vela ardent: iam transtra, forosq;
Mulciber absumit: nec spes incendia posse
Extingui remanet, naucleri in cærula pronos
Sese præcipitant: ullum nec cura salutis
Alterius, (rerum tanta est angustia) tangit.
Palantes *Butlerus* agit dux, obvia ferro
Quæq; metens, & ceu montis de vertice rupes
Cum ruit immanis, ventorum turbine vulsa:
Aut subtus tumido prolabens flumine torrens
Deijcit; aut annis solvit sublapsa vetustas, (actu
Quæ cuncta absumit: magno mons improbus
Fertur in abruptum, sylvas, armenta, virosq;
Involvens secum: disiecta per agmina ductor
Haud secus *Ormonius* fertur, vastoq; ruentem
Impete, tota cohors sequitur regalis: abesset
Si paulo plus sylva viris, nunc ultima venit
Hora *Donaldsiadûm*, nec mortem effugerat ullus.
Ast *Hebridûm* spolijs quia plura trophæa para-
Fata Deûm *Ormonio*, ductores milite pauco (bant
Stipatos, saltus letho rapuere propinqui.
Non tamen illorum miles vestigia cæcas
Per fauces & lustra sequi (venaticus aprum
Ceu canis insequitur) cessarat, plaustra priusqui

Phœbus

Phœbus in *Heſperijs* ferme ſubmerſerat undis:
Iam vero ut fuſcis nox terram amplectier alis
Cœperat, *Ormenius* victricia ſigna referri
Imperat, et medijs figi tentoria ſyluis.
Iuſſa viri fiunt. Canit inſpirata receſſus
Buccina confeſtim, verſis & ubi agmina frænis
Convenere, aptas alta inter robora ſedes
Proſpiciunt, ubi caſtra locent, illaq; quieſcant
Nocte: omnes operi incumbunt. Pars undiq; cir-
Decidunt ferro truncos, fitq; area, palis (cum
In qua defigant pelles: pars ſemina flammæ
Excudunt lilicis venis, atq; arida circum
Nutrimenta fovent: epulas, menſaſq; parare
Cura alijs: Quorum pars aufert tergora coſtis,
Extaq; denudant: verubus ſudare colurnis
Pars verſando facit; pars fruſtra elixat aheno.
Tum victu revocant vires, & maxima ſomnos
Pars capiunt, aliquot nam alterna ſorte ſoporis
Expertes, vigilant, ne ſomno epuliſq; ſepultos
Noctu, ſi qua manet virtus, invaderet hoſtis.
Vt primum Oceano ſolis rota clara relicto
Emicuit, ſtellaſq; polo lux alma fugavit,
Pellica tecta viri tollunt, armentaq; vallem
Sparſa per umbroſam ſtatuũt compellere: & alma
Præda hac contenti, *Proregem* quærere: at illos
Increpat *Ormonius*, flãmato hæc pectore fundens:
Quis furor ô ſocij? quæ tanta inſania mentem
Eripuit? poſtquam multo cum flumine veſtri

Sanguinis, & ſummo vitæ diſcrimine tandem
Vertere terga hoſtem, pugnaq; recedere victum
Feciſtis, quaſſaſne iterum reparare ſinetis
Vires? quid fruſtra tanto indulſiſſe labori
Profuit? incaſſum tot fortia corpora letho
Occiderant, pauido ſi vos terrore laborum
Iam ferme extinctas, ſinitis revireſcere flammas
O ſocij, ô nullis ſoliti ſuccumbere damnis,
Mollities hæc unde? abijt quo priſtina virtus?
Mittite fœmineas precor has, & temnite mentes
Aſſuetas revocate iras: quam ſera laborum
Hæc fuga? per ſalebras, per devia luſtra ſequamur,
Quæramuſq; duces *Hebridũ*, ut quæ *Marte* repo-
Marte impellãtur metirier arva iacentes. (ſcunt,
Artubus exanimis. Nequidquam talia fatur
Multa Comes: contra nam vultu & voce repug-
Ductores alij: quos eſto cogere poſſet (nant
Ille, ſciens autem invitos non utile quicquam,
Laudeve condignum facturos, præcipit umbris
Educi vexilla: illinc ter millia quinq;
Diſtat in *Eoum*, ripis fundata marinis,
Alta *Carrigfergi* rupes: ſic rege vocata
Scotorum a primo, fluctuanti illo æquore merſo
Ferguſio. *Satrapas* regalia ſigna triumphans
Huc ubi *Butlerus* præda cum divite duxit,
Ecce forum miles celebrat, quo pulchrius ullum
Extitit haud aliud tellure, habitarier ex quo
Cæperat, Hyberna: ſolido nam venditur uno

Quælibet

Quælibet armento bos præpinguiſſima toto.
Regia dum laſſas reparant hic agmina vires,
Exploratores *Glinarmi* rurſus in umbras
Carrigiæ a domino mittuntur, clara *Donaldi*
Scitatum, lateant ſub qua iam fronde propago.
Namq; animis prorſus fixum, immotúq; tenebat,
Vltonie nunquam fines exire, priuſquam
Ipſos enſe duces *Hebridum* transfigat, & *Orco*
Liba det, aut victo iuga ſumant *Anglica* collo.
Inter at hæc, veluti vacuo de monte ſonori
Quem pepulere canes, immani vulnere triſtem,
Cervus, ubi obſcuris ægros in vallibus artus
Arboreas inter frondes, dumoſq; nigrantes
Condit, vix ultra ſpumantia ſanguine membra
Ferre potens: ſi quod vicino murmur in antro
Audit, humo ſeſe tollit, totuſq; tremiſcens
Aufugit, & quocunq; fugit, loca nulla putantur
Tuta ſatis: (fractis ea diffidentia rebus
Eſſe ſolet:) pariter tam triſtia funera paſſi
Ductores *Hebridum*; non ullis fidere ſylvis
Audent, ne latebras extra apparere; ſed illuc
Atque huc ancipites, non fixa ſorte feruntur.
Æquoreum tandem ad littus, puppeſq; relictas
Convertere gradus, menſoq; evadere ponto
(Numina ſi qua ſinant) peſtem ſtatuere minantẽ.
Vt̃ loca contigerant ubi nexas unca carinas
Vincla tenent, illis tenebroſo e carcere fauſtos
Eolus emittit flatus: illi ocius altas

Inſiluere

Insiluere rates: stricto retinacula ferro
Pars scindunt: alij volucres sublimia transtra
Ascendunt, & vela citi iactanda secundis
Dant *Zephyris*, Idemq; omnes ardorq;, metus
Possidet. At littus vix deseruere, ratumq;
Ære uere salis spumas, cum sistit arena
Missus ab *Ormonio* speculator; carbasa qui cum
Plena videt proras spatiosa per æquora ferre
Hostiles, celeri castra ad regalia cursu
Flectitur, & patriam ponto petijsse *Donaldos*
Effatur. Magnos irarum nuncius æstus
Hic tulit *Ormonio*; tacito quos pectore primus
Supprimit, at veluti tanto magis æstuat ignis,
Quanto plus tegitur, neq; longo absconditus ævo
Flamma latere valet: violentia tanta caloris:
Haud secus ille ingens ac invictissimus *Heros*
Quo magis obsistit meritæ, qua accenditur, ira
Hoc magis exardet. Tandemq; ducesq;, viros q;
Amplius impatiens, torvo sic arguit ore:
Devicto ut quondam Boreali *Iulius* orbe,
Alta triumphanti meruit *Capitolia* curru
Scandere, sed patrias victor delatus ad oras,
Sanguine *Romuleo*, miseranda & strage senat
Pro meritis peperit patrium sibi triste triumph
Et crudele odium. Sic quos meruistis honor
Pro patria pugnando cohors, fusoq; cruore,
(Credite) in æternas detrusit tuta tenebras
Hæc fuga *Scotigenûm*: devinctaq; patria prim

Vt fuerat veſtrum celebrare per omnia nomen
Sæcúlũ, ſic matrem vos deſeruiſſe ſecundo
Accuſare poteſt. Si non mens ægra vetaret
Veſtra, & predarum ninis inſatiata cupido,
Iam *Donaldiadũm* ductores invia vivis
Regna peragrarent, *Hebridũq́*, haud amplius ulla
Arma forent huius regni metuenda colonis:
Iam vero ut cæſis frondentia robora ramis,
Altius, & melius creſcunt, & mitia tauri
Prælia ceu primo miſcent, oblonga priuſquam
Alter in alterius deſixit cornua fronte.
Aſt poſtquam læſis manans e frontibus, ater,
Tinxerat ora cruor, ſurgit rabieſq́, furorq́,
Et nova pugna oritur, revireſcunt vulnere vires:
Sic heu ſic vereor, vos profeciſſe cruenta
Armorum convalle nihil, quam philtra futuros
Maiores motura actis fabricaſſe tumultus.
His ſiluit dictis: ſed *Prorex* talibus inſit:
Forſan vera refers heros fortiſſime: ſed quid
Iam meminiſſe iuvat? ſi tanta inſania *Scotis*,
Rurſus ut *Hybernas* auſint expendere vires,
Vos, quos ante viros, ſpero, experientur eoſdem.
Interea nihil eſt, quod vos cura anxia vexet.
His *Comitis* placaſſe animos, accenſaq́; digno
Corda furore putans, demiſſo milite *Prorex*
Impiger *Eublanam* repetit, reliquiq́; penates
Ductores petiere ſuos, illiſq́; recepti,
Pudum exoptata requie lætantur adepta.

Tu

Tu pater at patriæ: incõcussæ ô in *Anglica* sceptra
Æternum sæclis fidei exemplare futuris,
Ormoniæ venerande Heros, tu gaudia solus
Devitas, requiemq; fugis: tua sola soporem
Lumina non capiunt: roseo cum candida curru
Cynthia conscendit medij vestigia cœli,
Et tacet omnis ager, mutumq; amplectitur orbis
Somnus: tu vigilas: nam quanquã culcitra corpus
Alta iacens teneat, secretaq; limina sensus
Otia ad allicitent, mollesq; accersere somnos
Nitantur: patriæ sed mens intenta saluti,
Anxiaq; incolumes *Hebrydũm* effugisse *Dynastæ*
Munera noctivagi prohibet mulcentia Divi
Carpere. Iactatum tantis Heroa ubi curis
Aspicit *Omnipotens*, cœlo demittit ab alto
Mercurium, tristiq; iubet solamina ferre
Hæc illi: nullas cædes & funera nulla
Posse *Donaldiadũm* effrænes compescere mentes
Scoticave Hybernis remorarier arma, priusquam
Hyberni pelagum radant, *Hebridumq;* per agros
Regia signa ferant. Magni mandata parentis
Exequitur *Maia* genitus: descendit *Olympo*,
Hybernasq; petit terras: ductoris ad ora
Butleri ut ventum, placido sic pectore fatur:
Nunquã animo prostrate heros, te cura remordet
Tanta quid? in patriam tutos remeasse *Donaldos*
Quidve doles? compelle viros, classemq; parare
Carbasa da ventis *Hebridum* delatus in arva,

In cineres converte domos; ad littora prædas
Dirripias, & redde neci, quicunq; reſiſtent:
Sic tibi plus laudis, patriæ ſic commoda plura
Acquires, quam ſi *Glunarnis* in ſaltibus illos,
Quos fugiſſe doles, umbris, lethoq; dediſſes.
Nulla *Donaldiadas* compeſcent damna, priuſquã
Arma *Auguſta* ſuos, *Auguſtaq*; ſigna per agros
Ducere te cernent. Ne tu tua proſpera tardes
Fata. Deûm rector, qui cœlum numine torquet;
Et terras, claro tibi me demittit *Olympo*,
Et celeres hæc ferre iubet mandata per auras.
Talia *Athlantiades* mulcenti voce loquutus
Mortales linquit viſus, comitiſq; fluentem
Ex oculis ſubito procul evaneſcit in auram.
Aſpectu obſtupuit primum, mox corde volutans
Dicta Dei *Ormonius*, revocat cum pectore vires.
Extemplo accitur miles, dein magna paratur
Claſſis, & ut primum flatus ſpirare ſecundi.
Scotica ab *Hybernie* verruntur cærula proris.
Vltima ad occaſum quæ terminat Inſula *Scotos*
Ricnea nomen habet, cuius tunc ſceptra tenebat
Somerlus flavus, vir ſævis aſper in armis.
Huc *Butlera* ſuum tendebant carbaſa curſum:
Pæne ſed optatas iamiam ſubeuntibus oras
Adverſi *Aeolo* nimbi bacchantur ab axe,
Præcipiteſq; retro convertunt turbine puppes.
Obnixi magno contra molimine nautæ:
Pars in tranſtra volant, nimiũq; prælta volucres

Carbaſa

Carbasa demittunt: pars incurvare fluentes
Festinare sinus, obliquataſq; recepto
Flamine in antennas, classis tardata retrorsum
Est fuga tendentis; quanquam procedere hanc
Directe nequeat, boreali fortiter aura
Id prohibente, tamen curvo nunc limite in or
Nunc quoq; in occasum cõversis cornibus ac
Interdumq; gradus aliquot lucratur in arctum
Ast ubi sic tota luctatum luce, sub undis
Phœbus ut *Hesperijs* candentes rexerat axes,
Oceanusq; atro noctis coopertus amictu:
Quanta viris oritur pestis, quantumq; periclu
Ceu lea disruptis, queis loga est vincta, cathen
In vacuos volitans agros, sylvasq; comantes,
Impete præcipiti rapitur, quæcunqueq; fiunt
Obvia, prosternit, rugituq; astra fatigat
Lætanti: pariter *Zephirusq;*, *Eurusq;*, *Africusq;*,
Eolijs emissi antris, velut agmine facto,
In mare contendunt unà, totumq; furenti
Flamine dilacerant: pontus nunc alta tumesc
Astra subire parat: nunc subsidentibus und
Ima inter medios fluctus apparet arena.
Butleræ parili iactantur sorte carinæ;
Nunc summo pendent fluctu, cœlũq; minan
Tangere: nunc vasto sorberi a gurgite, & im
Tartara adire putes; resonant stridore rude
Horrifico nautæ clamore, tonitribus æther,
Vndarumq; incursu undæ: balista fragore

Qua

Quanto valla quatit, turresq; evertit ab imo
Cardine, tam ingentem crebris a fluctibus ictæ
In latera, & cuneis puppes crepitantibus, edunt
Mugitum: multas ablato glutine rimas
Admittunt tabulæ, per hiantiaq; ostia pontus
Irruit, atq; viris crudelia fata minatur:
Præcipuè, qua vectus erat *Tyrerarius* ipse
Heros, prora feris sic circum tunditur undis,
Et rimata scatet prævastis undiq; fossis,
Vtiam naucleri nullam sperare salutem
Ausint, & gelido quatiantur frigore; sicut
Vrbs pavet, effossos numerosis hostibus intra
Muros acceptis, longe & fodientibus extra
Pluribus. Hic cunctis interitus ante periclis,
Quem non ulla unquam facies, roburve, minæve
Hostiles poterant quassare, *Ormonius*, alta
Astra super celebri fama, virtuteq; notus,
Contremit, & geminas tollens ad sydera palmas,
Lugubri tales effundit pectore voces:
O me infœlicem, totiesne ereptus ab ipsa
Fati fauce, nimis potui cum funere pulchro,
Fœliciq;, (polo si sic placuisset) ad umbras
Advolitare sacras, animamq; effundere lætam
Hostibus in medijs, sacra pro principe pugnans,
Et patria, vacuus nunc omnis honoris obibo,
Et neces impunes submersis artubus ictus
Accipiam? infausto fueram quam sydere natus?
Heu cui non licuit sævis occumbere telis

Armorum

Armorum connalle tuis fortiſſime ductor
Scotorum Somurle, tuûm vel cuſpide fratrum;
Aut in *Concaina* ſpumanti ſanguine ſylva
Enſe *Nielliadûm* ducis, aut mucrone *Wietti*
Ad *Londinenſes* muros, ante ora ſenatus,
Ipſius ante oculos Auguſtæ Principis, aut heu
Vſquam ubi compenſem fatali vulnere vulnus.
Conticet his dictis, imo ſuſpiria corde
Multa trahens, largiſq; humectat fletibus ora,
Priſtina ſed revocans invictæ robora mentis
Rurſus & in tacito perpendens pectore ſecum,
Fœmineum nimis eſſe, necis genera ulla timere,
Nec non nolle mori, tum quandocunq; *Tonanti*,
Aut quocunq; placet pacto, quacunqueq; ſede
Chriſticolæ haud humiles animos debere, fidēve
Exuit inſolitos motus, atq; ora reſolvit
Talibus. O cœli rector, pontiq;, ſoliq;
Parce precor dictis, ſubito nimis ore profuſis;
Si mea vis *Scotico* ſubmergi corpora ponto,
Nec mihi das crudis ulciſci funera telis,
Me tibi ſummitto ſupplex, fiatq; lubenti
Velle mihi veſtrum, tantum tua nnmina votis
Supplicibus poſco, ut noſtra de ſtirpe, domoq;
Succedat noſtri vivax imitator, amico
In patriam, & faſces animo: mihi conſcia teſto
Sydera, me nihili minitantia pendere fata,
Si patriæ nihil inde mali, vel faſcibus eſſet:
Vix filuit, tumidas ſubito cum ponere venti

Incipiun

Incipiunt iras; *Boreas* ſua cornua primus
Retrahit, & celeri pennarum remige in antrum
Æolium properat. Feſtinis paſſibus *Eurus*
Inſequitur, *Zephyruſq;* : ſuos attemperat *Auſter*
Bacchantes flatus: & ponti concidit æſtus.
Hic ſpes orta viris: hic triſtia ſolvere corda
Incipiunt: dubij ſed adhuc an carbaſa tollant:
Anguſtus nam pontus erat, noctiſq; tenebræ
Nondum vanuerant: undis unde obruta nautæ
Saxa timent, paucoq; ingentes æquore arenas.
Sed non longa mora eſt, currus cũ tollit ab undis
Cynthius Eois, tenebras & dimovet orbi:
Hic ſe poſſe dolos ponti vitare videntes
Extemplo dant vela viri: *Riceaq;* lætis
Arva intrant auris. Simulac *Butlerus* arena.
Hoſtili ſiſtit ductor, facit obvia flammis
Tecta dari, & campis paſſim paſcentia cogi
Armenta: in pugnam ſic illectare *Donaldos*
Sperat: at incaſſum. Rupes altiſſima montis
Inſtar ibi, vaſto defoſſa intrinſecus antro,
Ad quod prærupto immanis de vertice ſaxi
Per longum, anguſtumq; patet ſinuoſa receſſum
Semita, quam nullo colluſtrat lumine *Phœbus*;
Et quam mille viros contra defenderet unus:
Hoc trepidus fugit non expugnabile in antrum
Hoſtis, ab *Ormonio* quamprimum incendia ſcivit
Hæc fieri: ſic nota viri inſuperabilis armis
Virtus. Sic latebras & luſtra horrentia quærit

Taurus, ab adversa erumpentem fronde leonem
Cum procul aspectat, cuius per tristia vires
Vulnera inexhaustas nuper præsenserat ante.
Per sylvas & rura *Comes* ferro omnia, & igne
Depopulans, aquilas ducit; *Dirgiq́*, cavernam
(Illam atram, infragilemq; specum, qua territus
Desidet) invisit: velut & telluris opaca (hostis
Spelunca tutos, & rauca voce frementes,
Cum vulpem, catulosq; canis venaticus audit,
Ora furit circum caveæ, totumq; sonoro
Æthra replet clamore: pari *Mavortius* Heros
Ormonius pacto. Monstrosam *Scotica* rupem
Arma includentem, minitanti milite circum
Itq;, reditq;, ardens ira, & tentare revolvens
Qua possit ratione aditus, aut quæ via clausos
Hostes excutiat scopulo, ac in prælia cogat.
Irrita sed tandem sua cum molimina cernit,
Castra movet, naves repetit, spolioq; superbus
Hostili, placidè pelagum mulcentibus *Euris*
Vela dat, & patrijs fœlix appellitur oris.

ORMO-

ORMONIS

Liber quartus.

SAlve invicte *Comes*, non conceſſure ſtupendo
Laudibus *Alcidi*, nec conceſſure ſuperbo,
(Diruta cui fallax peperit *Carthago* ttiumphos)
Ductori meritis: nimium te patria, (patrem
Quem vocet) abſentem queritur, licet illius ergo
Abfueris: *Scotici* minitantes æquoris æſtus,
Præcipiteſq; hyemes quod te tentare coegit,
(Nempe tua intingas hoſtili ut tela cruore)
Ipſa tibi profert tua patria: ſtringere dudum
Te tua tela rogat, ſævumq; inhibere furorem
Deſmonij Comitis, diris qui concutit armis
Momoniam, & triſti pacem turbare tumultu
Audet: rumpe moras *Dux Inſigniſſime*, matri
Morigerare tuæ; tua primum damna parantur
Ipſius: *Danis Priameia* mœnia flammis
Quondam everſuri, celſa *Tritonidos* arce

Effigiem rapuere sacram, quæ intacta per ævum
Omne *Phryges* faceret, contra bella omnia, tutos.
Sic etenim (perare, (illos nec vana fefellit
Spes) *Troas* victu faciles, urbemq; futuros.
Par *Geraldiadis* animus, successus at impar:
Omnia flagrantes sævis accendere bellis
Ormonium pacis fulcrum, regniq; columnam
Nituntur, renis, velisq; evertere primum.
E vino fruges, & vectigalia regnum
Debita per totum, quæ cedunt omnia *Regi*,
Possidet *Ormonius*, ceu posse.lere parentes,
Multorum ex regum dono veteriq; novoque.
Desmonia at Satrapas, animis. Et *Marte Gerottus*
Audax, nescio qua motus ratione, per omnes
Momonia occiduas urbes, Austroq; propinquas,
Hasce sibi fruges, & vectigalia carpit.
Quinetiam contra fas omne *Geraldius* heros
Baroniam (voci manes *Ciceronis* agresti
Parcant) *Kilseghlan* repetit, redituſq; reposcit
Clonmelia, & cunctos agros, ac prædia quondam,
Vnica *Desmonij* Comitis, quæ nata *Iohanna*
Ormonio tulerat Comiti, pro dote *Iacobo*,
Quo tu patre satus, *Dux illustrissime*, bellis
Qui *Geraldiadum* premeris: Hæc prima cruenti
Semina *Martis* erant: hæc ob *Desmonius* igne,
Et ferro vastat, qua se *Tiperaria* cumq;
Libertas tendit. *Satrapas Butlerus* iniq; (nes
Hæc fert, & pariter, quanquam compulsus, in om-

Desmonij

Desmonij sævit terras, prædasq; virosque.
Multa utrinq; virûm cædes, multa horrida dãna
Patrantur: sed quem, cunctarum cœlica mater
Virtutum, pietas pro templis occupat, Heros
Ormonius, secum matura mente revolvens
Infandum patriæ statum, nullamq; malorum
Adventar: videns finem; non funera quicquam,
Nec cæsi ingentes hostis prodesse catervas,
Bella suis solis manibus, fortiq; duello
Claudere constituit; letho se offerre paratus
Pro patriæ (si fata velint) ut thura, salute:
Ergo *Desmonium*, cessent ut tristia belli
Tædia, sollicitat, solum se credere campo:
Quem contra solus dubiam parat ipse in arenam
Currere: vivat, ait, cui fors & dextera palmam
Reddiderit: præstat, quam multos, perdier unũ.
Ast *Geraldiadum* ductor, licet acer in armis,
Innataq; minor paucis feritate, animoq;
Non ausus conferre manu, nec solus arenam
Cum duce *Butlero* (sic insuperabilis usq;
Nota viri virtus pugnando) quærere; mittit
Hæc responsa; uni rem tantam credere soli,
Non sibi per socios pacis, belliq; licere.
Quod si tantus, ait, te pugnæ possidet ardor,
Cogat uterq; queat quam magnas undiq; vires,
Deinde acies campo iungamus, & ultima belli
Sic finis: cuicunq; favet victoria, cedant
Illi cuncta; placent *Butlero* pacta *Comarcho*:

Prædixere locum pugnæ: qua proximus oras
Vergit ad occiduas, fœcundus piſcibus amnis
Surius, occaſum verſus bis millia bina
Hinc locus antiquus diſtat, *Tiperaria*; totus
Vnde tenet nomen *Comitatus*: *Martis* arenam
Hic ſtatuunt, certumq; diem vexilla movendi
Obvia, & infeſto miſcendi ſpumea ferro
Prœlia præſcribunt. Numeroſus miles utrinq;
Cogitur interea, & ſeſe pars utraq; promptos
Fammato expediunt ſtudio. *Tiperarius* autem
Aſſignata prior *Mavorti* contigit Heros
Arva, ubi quamprimum poni tentoria fecit,
Et circum conſpexit agros, animoq; pependit,
Vnde ſuis aditus fœlix, atq; arduus hoſti
Eſſe queat, ducibus demonſtrans omnia, quēq;
Admonet officij, quæ primo cornua pugnam
Incipiant, & quæ deceat ſuccedere primis
Oſtendens: ſecus haud ſollers venator aperto
In campo aggreſſurus apros, turbamve luporū,
Collocat in varia diverſos ſede moloſſos:
Non idem molles, fortes, celereſve, pigroſve
Limes habet: puncto nec eodem temporis omnes
Optatam verſus prædam volitare ſinuntur.
Cuncta ſatellitibus dum ſic *Ormonius* Heros
Explicat, a longè venientes aſpicit hoſtes,
Gaudetq;: aſt comitum nimium, nimiūq; cruoris
Ardentum, & ſubito ferre obvia ſigna volentum,
Effrænes placidis dictis ſic temperat iras.

Macte

Macte animis, & macte armis, deterrite nunquã,
Et nunquam devicte malis, validiſſime miles,
Quæ te digna poteſt merces, quæ præmia dici?
Quiſve tibi te digna canat præconia? Laudes
Quiſve pares meritis? ſed adhuc cõpeſce furorẽ
Hunc validũ. *Heſperias* iam ſol feſtinat ad undas,
Et iam iamq; diem veſper clauſurus, *Olympo*
Apparet: fraudi, non æquo accommoda *Marti*
Nox eſt: nos fraudem fugimus, fucumq; dolũq;:
Florentes lauros, & ſerta virentia forti (campo:
Ferre manu cupimus, vel pulchro occumbere
Ergo animos frænate modo: lux craſtina cœlo
Vt primum ſtellas, madidamq; removerit umbrã,
Signa tubæ reddent, & rauco cornua cantu
Omnes in pugnam allicient: tunc quiſq; furorem
Condignum, & licitè meritas exerceat iras:
Interea poſitis cauti conſidite caſtris.
Hæc dux: nil illi: parent; in pellica quiſq;
Tecta ſua intrarunt, ubi tota nocte moratis
Quælibet hora annus viſa eſt, *Phœbũq;* querũtur
Tardos *Eois* currus retinere ſub undis,
Debita iamq; diu tardum dare lumina mundo.
Vtq; Pharetrigeri ſincerus miles *Amoris*,
Pectora iam multos cuius corroſerat annos
Flamma latens, & cui crudelis amata repulſam
Multoties dederat; ſi concedentibus aſtris,
Obnixis tandem precibus, lachrymiſq; miſertæ
Pectora mutârit; lætis aurora ſed haud dum

Conubij præfixa ſacris illuxerat, ille
Quam lentos putat ire dies, qui talia tardant
Gaudia, & optatam protenſo a caſſe morantur
Prædam: quam vellent pariter *Butlera* iuventus,
Prælia quæ differt, cæcam evaneſcere noctem?
Sol tandem *Eoo* flammantia plauſtra profundo
Exeruit, ſtellaſq; polo, tenebraſq; fugavit.
Rumpit uterq; moram, lætuſq; exercitus hoſtem
Provocat: arma cient litui: ferit aſtra tubarum
Clangor, clamoreſq; virûm: tellure diremptæ
Exigua ſtant ambæ acies: iam brachia tollunt,
Tela coruſcantes, oblongaq; ſpicula criſpant;
Iam iam incæpturi pugnam, ni fata ſtetiſſent
Contra, quam multis, magniſq; imponere finem
Cladibus illa dies potuit? pugna illa futuros
Vnica quot triſtes caſus, moleſq; nefandas
Ormonio eriperet? quantam fortuna quietem
Heu illi abſtulerat? cum fundere prima pararent
Tela viri, medijs en regius inſtitit armis
Nuncius, ambobus mandata *Auguſta Dynaſtis* —
Oſtendenſq; iubenſq; feris deſiſtere cæptis,
Et coram *Prorege* citos, ſacroq; ſenatu
Comparere: ſtupent *Satrapæ*, & ceu nauta ſecundi
Quem flatus, auriq; ardor prolectat ad *Indos*,
Cum ſolvit funes, & vincula tollit arenis,
Pyratas ſi forte ſalo diſcurrere toto
Audit, in incerto eſt, an ſparſis flamina velis
Provocet, an littus repetat, laxoſq; rudentes
Alliget:

Alliget: hoc ſuadet metus; impendenſq; periclū:
Aura ſecunda, & opum ſitis inſatiabilis illud.
Haud ſecus Heroum dubias ſententia mentes
Anxia confundit: peragant an prælia: an enſes
Nudatos ponant, & iuſſa *Anguſta* capeſſant,
Ambigui: leges vibrato imponere ferro
Difficile: inflammata ſemel miteſcere virtus
Neſcit: at imperio regali obſiſtere, res eſt
Ardua, & infandum facinus, plenumq; periclo.
Ergo virum ardentes animos, cæcumq; furorem,
Principis, et legum reverentia debita frangit:
Fœdera componunt inviti, & militæ miſſo,
Eublane triſtes *Anguſta* ad mœnia tendunt.
Hic ubi magnates, & Prorex omnia lance
Librarunt æqua, non amplius arma movere,
Ormoniumve ducem belli infeſtare tumultu
Deſmonio mandant: mandatum ſyngrapha firmat
Ingentis mulctæ, qua ſeq;, ſuoſq; *Gerottus*
Obſtrinxit natos, & qui naſcentur ab illis.
Pax ſic facta viros inter; violata ſed annos
Poſt intra paucos: renovati turbinis ede
Muſa mihi cauſas. *Deſiam* debere tributa,
Servitiumq; ſibi *Deſmonius* aſſerit Heros,
Solvere quæ *Deſiæ* Dominus cum nollet, in iras
Ille abit, & *Deſiam* flammis populatur, & armis
Multa diù *Deſiæ* Dominus ſub pectore volvens,
Quid faciat, tantis vel qua ſe fluctibus arte
Eripiat, tandem cognato fœdere iuncti

Ormonij

Ormonij Ductoris opem, auxiliariaq; arma
Implorat ſupplex; conſanguinitate propinqua,
Sed magis & patriæ, & pacis compulſus amore,
Impiger arma capit *Butlerus* ductor, & omnes
Deteſtans, fugienſq; moras, iter arripit agros
In *Deſios*: ibi tecta vagis fumantia flammis
Cernit, & innocuo ſpumantes ſanguine campos,
Et procul armentis oneratum ingentibus hoſtē
Cedentem: ſocijs dux invictiſſimus ergo
Accelerare gradus, rapidoq; hoſtilia curſu
Imperat arma ſequi: ductoris iuſſibus illi
Inſegnes parent: *Decie* pars ultima ab ortu
Aumori madefit ſpatioſi fluminis undis:
Hoſtibus hac iter eſt: vada per contermina cāpis
Aghmaine ſperant ſpolia ampla, & ſigna referre.
Vana ſed hæc ſpes eſt: fatalia ſtagna priuſquam
Aghmaine ingreſſi, *Butlerę* robora pubis
Experti, prædas linquunt, atque ordine nullo
Palantes dant terga fugæ, perq; arva feruntur
Præcipites. Turpemq; fugam, fædaſq; ſuorum
Vt mentes vidit *Deſmonius*, aſtra querenti
Voce ferit, rebuſq; unum quod reſtat egenis,
Nunc prece, nunc diris fugientes ſiſtere dictis
Nititur: ô ſocij, ô nunquam devicta iuventus
Quo fugitis? quonam diſceſſit priſtina virtus?
Quot contra pugnant, nobis animæq;, manuſq;
Sunt totidē, aut plures: ſed non tot fortia corda
O pudor, ô nullo delendum dedecus ævo:

Abijcit

bijcite ignavos animos; confidite dextris,
on pedibus: revocate iras: convertite cursum:
umpendum, qua nos hostis densissimis urget,
t iter: hac & honos, & nostræ gloria gentis,
os vocat. Hæc fatus, medios prorumpit in ho-
rosternitq; solo ferrata cuspide multos. (stes.
ulera agglomerant circum numerosa iuventus,
crebro heroïs foditsent pectora ferro,
i dux *Ormonius* vetuitsset, parcite clamans,
arcite verberibus: ne vitam querite: sat sit
rendere captivum, palmaq; potirier: ô vox
alica: Cœlestis qui talia fatus in hostem.
Marte diu valida pugnat *Desmonius* heros:
aucius ast tandem capitur: spumantia cuius
ulnera ut *Ormonius* vidit, suspiria ab imo
randia corde trahens, inflarier ære receptum
mperat, ut miserûm cædes cessaret; at isthæc
era *Geraldiadis* nimium mandata: ducenti
isq; decem decies, effuso sanguine partim,
artim præcipites spumosa in flumina rapti,
xtremum clausere diem, vitamq; dedere.
egressum monstrante tuba, dum signa iuventus
arda refert, nondum cladis saturata, pheretrum
rmonius molli componi ex vimine cogit,
n quo captivus Satrapas defertur in Arcem
himmelie huc multus celebrisq; *Machaonis* arte,
ccitur cætus, læsi queis cura medendi
eroïs commissa: illi fausto omine, & hora

Com-

Commissum aggrediuntur opus, fidiq; ministri
Vnguenta, & vires revocent quæcunq; priores.
Hæcq; nec affectu carvit sollertia: robur
Saucia membra suum paucis sumpsere diebus.
Integer ut primum factus *Desmonius*, *Anglas*
Mittitur in terras; ubi quem Regina Senatusq;
Aspiciunt, quantas tibi Dux *Ormonie* grates
Persolvunt, tantum quod *Marte* subegeris hosti.
Sed quanquã gravis hostis erat, clementia maior
Principis: en binos post intra ignoscitur annos
Tanto hosti, & finitur patrias invisere sedes.
Sed quid tanta illi prodest clementia? mores
Exercet rursus solitos: nil iura veretur,
Et leges nihili pendit, legumq; datores.
Ergo illum Prorex prendit *Sidneius*, & unà
Captivum in terras mittit cum fratre *Britannæ*
Ac *Londinensis* clauduntur carcere turris.
Hinc alia exhaustis longe maiora per omnem
Tristia *Momoniam* nascuntur bella: *Dynastæ*
Desmonio patruelis erat, *Mauritia* proles
Iacobus, vir ad arma citus, nulliq; secundus
Marte, famis patiens, & nudo vertice sævos
Ferre potens imbres & ventos: otia nunquam
Amplexus: molli non somno addictus: in armis
Sæpe vigil longas noctes transegit, humiq;
Proiectus, faciles plumas, ostrumq; superbum
Spernebat: fœlix, omniq; ex parte beatus,
Has si naturæ dotes, arteſq; stupendas

Pr

ro pace, & patria, ſceptris, & principe pugnans
xercere velit : patrueles carcere vinctos
ic ſimul ac audit, ſubito molitur in *Anglos*
indictã: hortatur primũ capere arma *Geraldos*,
lciſcenda aiens Ductorum vincula : pronos
os ad bella videns, (avidi nam motus, & illi
on obſtare auſi, Satrapa quem abſente colebant
ro rectore) alios tentat, varijſq; laceſſit
lecebris : plebi prædam, lucrumq;, rapinaſq;
bijcit ante oculos : magnis heroibus almam
t libertatem, & ſummos deceptus honores
roponit : ſubito ſcelerata in retia multos
llicit, inq; dies creſcebat copia : præter
lancartos, *Donochos*, *Sibios*, & utroſq; *Solanos*,
riskiolos, *Kifios*, *Donovanos*, *Macfininoſq́*,
nnumeraſq; alias gentes, *Momonia* alumnos
ccidua, auſtraliſq; tuos, *Laginia* mittit
um *Moris Conoros* : mittit *Connatia* multos
uxilio *Geraldiadis* : immania iungunt
ædera, & in facinus iurant; extinguere cunctos
eginæ, & ſceptris fidos, crudelia quæq;
rotinus incipiunt: fumũ flammaſq; ad *Olympum*
ittunt tecta: Deûm templis non parcitur: *Orco*
ittuntur genus omne viri: truncuntur agreſtes
gricolæ, ſterili findentes vomere ſulcos,
tſata ſpinoſis cingentes undiq; ſeptis :
xuit, heu miſerum, quam vix exorſus, adacto
er molles mucrone artus, puer ubera ſugens

Matris

Matris ad huc, animam: nec deplorare ſinuntu
Funera natorum genitrices: impius ipſas
Pignora compellit comitarier enſis ad umbras.
Decrepiti (crudele) ſenes, aut pectora cultris
Effoſſi, aut intra fumantia mœnia clauſi,
Æſtuantem exhalant auram, vitæq; relicto
Lumine, in æternis clauduntur morte tenebris.
Quid moror? haud tanta *Libicus* feritate tyrannus
Sævijt, *Auſonias* bello cum præſſerat urbes:
Nec tam crudeles chari poſt fata ſodalis,
In *Troas Thetidos* proles exercuit iras,
Interea regni Proceres, ſacrumq; ſenatum
Anxia cura premit, tantæ medicamina peſti
Quis ferat? attritis aut quis ſuccurrere rebus
Audeat. Aſt quid opus tãta anxietate? quid iſtha
Cura gravat regni clypeus porrectus in omne
Hoſtes, qui nullis didicit ſuccumbere damnis,
Hoc ſibi ſumit onus, Sátrapas *Tiperarius*: Illo
O quis dignus honos? quæ laus? qui ſolus & ul
Imperij ſubijt pondus, molemq; ruentis.
Omnia cum tremerent, cum cuncta ablata ſalu
Spes foret, *Ormonius* medio hoc in turbine duc
Butleram armari pubem compellit; & hoſti
Obvius ire flagrans, atq; æquo prælia campo
Miſcere, hoſtiles volitat non ſegnis ad agros,
Et ferro, flammiſq; furens, per rura, paludes,
Per iuga, per ſcopulos, per inhoſpita tecta fera
Queis *Geraldinadum* returve, auditve catervis

E

Esse moram, fertur : non illum fulgura, cori,
Grando, nives, imbres, æstus, aut frigora tardant:
Nec tenebris reprimebat iter nox atra : soporem
Omnia cum poscant, cæcas vigil ille per umbras
Signa movēs, inopinus adest, quos clara negauit
Conuenisse dies: minus ac ubi ab hoste timetur,
Mille rebellantes animas sub tristia condit
Tartara : & ut requies firmaret nulla rebelles,
Et ne continuis *Butlera* laboribus arma
Fessa cadant animis, peregrino milite vires
Sufficit interdum, cui pro mercede, superbas,
Deficiente auro, multos impignorat arces.
Admiranda fides; ter fœlix, faustaq; princeps,
Quam tam sancta colit pietas, constantia servit.
Sic *Mauritiades* per tres, aut circiter annos
A sylva in sylvam, in montem de monteq; pulsus,
Ancipitem tandem belli exhorrescere finem
Incipit, & quanquam temeraria linquere cæpta
Non sinat indocilis, præcepsq; audacia; verum
Contrahit antennas, nimis altaq; vela remittit;
Momonia, occiduo quæ pars est proxima ponto,
(*Desmoniā* appellāt *Maccarti*) informibus umbris
Turritisq; scatens scopulis, circundatus altis
Montibus, & crebris, vastisq; paldibus horrens,
Est locus: huc furtim pauitans rapit ille catervas:
Hic residere animus: non hic *Butlera* timenda
Arma ratus: quis enim loca tam munita, nefanda,
Tristia, & armato spumantia milite tentet?

Tentat

Tentat at invictus, semperq; interritus Heros
Ormonius: simul ac hostilis nuncia discit
Certa fugæ, rapido illorum vestigia cursu
Insequitur, cunctamq; moram aversatur, in arva
Desmoniæ donec fœlici cum omine ventum.
Ardua turris ibi, vixq; expugnabilis ullo
Robore *Dunlochus*, cummune rebellis asylum
Atq; receptaclum: *Comes* omnia protinus arma
Admovet huic castro, obsessisq; recludere portas
Mandat: ni faciant mortemq; ensemq; minatur.
Olli inflati animis, & fastu corda tumentes,
Irrident mandata, minasq;, & talia paucis
Respondēt: aquilas, (feristi quas fulmina nunquā)
Posse poli crepitus, & hiulca tonitrua tuto
Temnere: sic pariter *Comitis* minitantia parvo
Verba sibi fieri, cuius non tela verentur.
His *Comes* auditis, invadere protinus arcem
Molitur: corijs, & texta ex vimine tecta,
Impleri pluteos armato milite cogit,
Mœnia qui circum partem moveantur in omnē,
Obsessosq;, frequens spargendo missile, turbent
E propugnaclis: alios per viscera terræ
Occultas penetrare vias, atq; ima movere
Fundamenta iubet. Miles nil iussa moratur.
Suppositis provecta rotis vaga machina muros
Circuit, & crebras Hibernæ grandinis instar,
Evomit ignitas glandes, cœlumq; fragore
Concutit horrisono, patulos effossa canales

Terra

Terra capit, miroq; uſq; ad fundamina curſu
Itur. Sed contra validis defendere ſeſe
Viribus obſeſſi : pars alto a culmine tædas
Ardentes torquent, & ſaxa ingentia : ſcloppis
Pars denſos fundunt plumbos, & funera multa
Edunt : in foſſis alij tellure ſubima
Occurſare parant ſtrictis mucronibus hoſti,
Vlciſci ut poſſint, ſi non defendere vitam.
Cuncta ſed incaſſum : ſublatis mœnia fulchris
Omnibus, in terram procumbunt, altaq; ad aſtra
Mugitum ingentem ſe collidentia mittunt.
Introeunt *Butlera* cohors, paucoſq;, ruentis
Queis caſtri ingens moles, & fortuna pepercit,
Vel ferro lacerant, vel eorum pendula celſis
Colla ligant ramis : ea præmia digna laborum.
His ita confectis alacer *Comes* arma moveri
Imperat, incæptumq; ſequens iter, omnia luſtrat
Antra, umbras, montes, convalles, rura, paludes,
In quibus hoſtiles ſperet contingere turmas;
Ceſſaratq; acri nunquam hac indagine feſſus,
Incuſſit donec tantum per corda timorem
Hoſtibus, ut nullis auſint confidere ſylvis,
Montibus & nullis, nullis convallibus : ergo
Ceu qui fulminei ex occulto vaſta leonis
Membra venenifero petijt transfigere telo,
Audentem ſi forte feram ſe verſus hianti
Advolitare videt rictu, iacit ocius ora
In terram, & quem vi nequijt vitare, furorem

Callidus obsequio placat. Sic Marte rebelles,
Aut vi cum nequeant *Butleræ* obsistere pubi,
Ormonium plerique ducem obtestantur, & orant
Parcere prostratis, delictorumq; precantes
Submissi veniam, deponunt omnia belli
Signa, & perpetuæ iurant in vincula pacis.
Iam *Mauritiades* plerisq; relictus ab armis,
Quid faciat, nescit: non amplius arma mouendi
Sufficiunt vires, nec quærere conscia pacem
Mens sinit actorũ. Ceu quando tonitribus æther
Mugit, & insani resolutis nubibus imbres
Præcipites cœlo funduntur, & undiq; circum
Fulgura scintillant, non tauris demit arator
Vincla, licet nequeat rimanti vomere sulcos
Ducere, sed denso patulæ sub tegmine quercus
Se vel in arcuato defossi fornice saxi
Abscondit, solis reditum, pluviæq; recessum
Providus expectans. Pariter *Mauritia* proles
Tranquillam exosus pacem, sed ineptus ad arma,
Quærere constituit latebras, abstrusaq; sylvis
Lustra, quibus tuto fundarier anchora possit,
Dum vinti adverti spirent, sociisq; superstant
Quotquot adhuc, hoc suadet idem, & mærentia
Pectora sic: fidi comites, fortuna nocere (mulcet
Nil potis est ultra: nos ima volubilis axis
Curvatura premit: rota motu ast infima primo
In summum tendit. Post tristes grandine nimbos
Aura serena subit: veniet, confidite, vestris

Solamen

Solamen rebus: lucescet tempus & illud,
Idq; brevi, ut spero, quando hæc meminisse iu-
Interea firmate animos, sortemq; ferendo (vabit.
Calcate, & vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert; tacito sed corde dolorem
Ingentem occultans, dimisso milite toto
Propositum molitur iter: loca cognita paucis
Cautus adit, mutatq; frequens, namq; omnibus
Diffidit; paulo post hæc *Desmonius* arce (anceps
E *Londinensi* Satrapas demissus, & oras
In patrias cum fratre redit: *Mauritia* proles
Protinus erumpens tenebris, patruele reposcit
Auxilium, heroasq; obnixus in arma fatigat.
Quos non audentes cernens, excedere toto
Molitur regno, atq; alienas quærere terras.
Gallorum primo regem, post sceptra tenentem
Visit *Iberiacum*: mox *Romæ* ad mœnia cursum
Dirigit, invictosq; & opem, auxiliumq; *Monarchas*
Obsecrat; & voti, qua nescio sorte, vel arte,
Fit compos, reditumq; parat cum milite, & armis
Extemplo in patriam. Sed non *Hybernia* motu
Interea vacua est: nec dux *Butlere* laboris
Expers es: rursus statuit *Thomonia* laudes
Exercere tuas. *Connacia* frœna coercet
Præses *Fittonnius*, legesq;, & iura ministrat.
Hic in *Thomonia* celebrans solennia cœtus
Iuridici, Satrapam *Thomondum* apprendere velle
Vulgo ferebatur. Fora deserit ocius ergo

Clam *Comes*, & cauſam ſcitatum a *Præſide* miſſos
Partim carceribus claudit, duriſq; catheris
Illigat, & partim, cæcanti percitus ira,
Obtruncat. Simulac *Fittonius* certior harum
Factus erat rerum, *Thomonia* protinus arva
Deſerit, inq; fugam ſe dat conterritus: illum
Inſequitur multo ſtipatus milite ductor
Thomontus, multamq; edit ſtragemque, necemq;
Extremis donec patriæ de finibus arcet
Palantem, attonitũq;. Velans hoc læta per omne
Fama ubi vulgarat regnum, *Mavortius* ardor
Cæperat innumeros ſubitò, cunctiq;, quietem
Qui placidam turbare flagrant, Heroa furore
Accenſum tanto tantum lætantur, & acres
Bella viro ſuadẽt, ſtimuloſq;, animoſq; miniſtrãt.
Interea *Ormoniæ* Comitem *Fittonus* adivit,
Et querulo tales effudit pectore voces:
Bello invicte Heros, huiuſq; immobile regni
Fulchrum, quo nunquam patietur ſtante ruinam
Anglicũ in hac terra robur, quæ indigna *Thomõtus*
In me commiſit, nec non in ſceptra, referre
Nil opus; ipſa nimis vulgo manifeſta feruntur.
Iam grauiora parat, toto detrudere regno
Hyberno Angligenum prorſus nomenq;, genuſq;;
En facinus: tu qui noſtri defenſor honoris
Semper es inuictus, venerandum & pacis aſylũ,
Huic occurre faci, tantumq; intercipe probrum:
Tu, quoſcunq; tenet, titulos, & iura *Thomonto*

Nactus

Nactus es: illius tu iam compesce rebelles
Conatus, silet his. Sed contra talibus Heros
Incipit *Ormonius*: nullum ut vitare laborem
Me patruelis amor passus, tranquilla priusquam
Tradita cognato patrij possessio ruris:
Sic mihi nulla (polos, & conscia sydera testor)
Continget requies, donec vel sedibus illum
Expulero patrijs aliena in clymata mundi,
Vel dignas dederit commisso crimine pœnas.
Ima mihi, fateor, corrodunt pectora curæ,
Sollicitusq; dolor, quod me patruelis oportet
Fœderis oblitum, consanguinitatis honorem,
Iuraq; transgredier: sed non mihi fœdera tanti
Vlla (voco in testes, qui norunt omnia Divos)
Vt mea deficeret pietas in sceptra, fidesve:
Ante equidem moriar, vacuasq; hic ibit in auras
Spiritus, & fient absumpta cadavera pulvis.
Hæc ait, & raptim collecto milite tendit
Thomoniam versus: decies sex millia circum
Occiduo vasti semota a littore ponti,
In medijsq; iacet *Sinneni* fluminis undis
Vrbs antiqua, vocant *Lymbricum*: præpete cursu
Huc *Comes* advectus, mœstoq; in corde volutans
Tristia *Thomonto* fata impendentia, mittit,
Illum qui moneant temeraria linquere cœpta,
Torrentem & contra niti desistere, seq;
Principis arbitrio totum submittere: cunctam
Hinc posse, aut nullam sperari aliunde, salutem.

Illeviri veritus nullo ſuperabile robur
Ponderé, (quamplures quamvis heroes in arma
Exhortentur, opem ſpondentes) talia ſupplex,
Aſt exſpes, reſponſa facit: ſe bella lubentem
Ponere, & incepti ſceleris tædere: ſed ipſum
Claudere ſpem veniæ crimen: ſubmittere tutum
Ergo haud eſſe: procul verum ſibi quærere terras
Semotas, animo fixum, ac immobile, donec
Aut longinqua dies, aut ſors, aut ipſa Deorum
Numina ſubveniant, condignam principis iram
Placando: interea patruelem obnixiùs orat
Conſulere abſenti. Poſtquam reſponſa remiſit
Talia, dimiſſo confeſtim milite, paucis
Stipatus, primum latebras, & devia quærit
Luſtra: per immenſum mox *Gallica* regna profun-
Dux at *Butlerus Thomonia* in arva cohortes (dum.
Ducit, & acceptis cunctis potioribus omnis
Satrapiæ obſidibus, muros, arceſq;, domoſq;,
Thomonti cunctas intrat, munitq; valenti
Præſidio, & gentem tranquilla in pace gubernat,
Galligenûm donec princeps a principe noſtra
Admiſſæ obtinuit *Thomonto* oblivia culpæ.
Inter at hæc *Italo* comitatus milite, & armis
In *Mauritiades* patrias appellitur oras,
Triſtia funeſto moturus numine bella.
Deſmoniæ hoc Comitis germano ubi certa *Iohanni*
Nuncia deportant; alto quas pectore triſtes
Illius alma diu pax fovit, gaudia curas

Protinus

Protinus expellunt: tanto *Mavortis* amore
Vritur infœlix, pacemq; insanus abhorret.
In *Keria* * occiduis peninsula cingitur undis, * Comitatus Mononiæ.
Smerwickam appellant. Hic *Itala* classis, ab alto
Nimbisonis depulsa notis, iacit ærea primum
Vincula, & hac fessos reparat statione lacertos.
Huc, ceu pro patria moturus signa, *Iohannes*,
Inq; hostem vellet districto rumpere ferro
Advolat. Ast aliter longe res contigit, hostem
Sædulus in belli furias hortatur, in omni
Participem sese spondens, comitemq; periclo.
Nec contentus eo, quoniam diffidere credit
Illos pollicitis; scelus execrabile nectit
Hoc aliud sceleri. *Momonia* frænа regebat
Anglus, *Adrastæus* legum observator, & acer
Iustitiæ cultor, *Davillus* nomine: ferro
Hunc ille incautum, contra fas omne, peremit.
Vt primum hoc audit certo *Mauritia* proles,
Licet arma, & equos poscit, castrisq; remotis
Intima regna petens, *Keriam*, *Konolamq;* relinquit
A tergo, rapidis & quos * *Molkerna* fluentis * Flumen.
Terminat *Eoum* versus, iam signa movebat
Burcorum per agros: ast laus insignis, honosq;
Burcorum Theobaldus atrox *Mavorte*, *Barones*
Quo *Castelconnell* tres primi patre creati,
Indignum virtute sua permittere censens
Tam prope se tutos sic pertransire rebelles
Arma viroſq; citus cogit, sequiturq; catervas

Impiger hoſtiles, quas cum frondoſa ſubirent
Robora * *Kelcugie*, in pugnã compellit, & ipſum
Ductorem intermit, quantos tibi pugna decores
Hæc *Theobalde* tulit? qua tantum ſuſtulit hoſtem
Mucro tuus: fuerant eadem ſed prælia ſtirpi
Quam non fauſta tuæ? queis te videre peremptũ.
Iam *Geraldiadum* Satrapas de morte *Daviſi*
Suſpectus, coram regni magnatibus aſtat,
Huius & infandi purgat ſe crimine facti:
Præterea ut fidei pignus datur unicus eius
Natus proregi, mittendus in *Anglica* regna
Obſes: at hæc inter numeroſis *Malbius* armis,
Anglus eques, cuius paret *Connacia* tellus
Imperio, accelerat *Momonia* in arva, tuoſq;
Interfectores *Daville* ad flumina *Mase*
Convenit, & valido fundit *Mavorte*: ſuperbus
Hinc petit *Asketinam*, & ferro devaſtat, & igne,
Rathkelamq́: ſuas Satrapas *Deſmonius* acres,
Ruraq; ab *Angligenis* aboleri, fœdera poſtquam
Cum Prorege inijt, natumq; in pignore pacis
Tradidit, ut cernit, tumidas exardet in iras,
Et capit ultrices animos: ſe iungere fratri,
Armorumq; fero regnum turbare tumultu
Conſtituit: ſimulac ad ſacrum fama ſenatum
Hoc tulit, extemplo Prorex, vir maximus armis
* Ormonius. *Pelhamus*, & ſtirpis * Decor illuſtriſſimus unà
Butlera, rapido *Limbricum* tramite ad urbem
Volvuntur: coram queis cum apparere *Dynaſtas*
Deſmonia

* Ingens Sylva.

Desmoniæ accitus, nollet, *Tiperarius* Heros
Stultitiam admirans tantam, Heroisq; ruinam
Multum animo miserans, paucis affarier illum
Optat: in occiduum bis millia quatuor *urbe
Vasta palus distat, campis contermina *Adara*, *Sc. Limbrica.
Monrovar: *Ormonius* paucis comitantibus heros
Huc volat, hic Satrapæ *Desmonio* & obvius, illum
Talibus incassum compellat vocibus: arcto
Motus amore tui, cognato sanguine motus,
Huc veni, tibi pauca, tuæ monstrate saluti
Quæ prodesse queant: imo tu pectore cuncta
Conde; tuis dum tempus adest & consule rebus.
Magna tibi illata est iniuria: magna fateri
Damna necesse tua: sed quid? sarcire nefandis
In sceptra, & patriam speras incommoda bellis?
Quam scelus horrendum, quam detestabile dirũ,
Hoc fari mitto: quis erit, sed respice, finis.
Respice, difficilis res quam sit, & ardua, inanis,
Tot tibi regnorum summa cum principe bello
Decertare. Tuas & opes, & robora cur non
Respicis? exitio stirpi, mihi crede, futurus
Es, domuiq; tuæ, cæptum ni forte furorem
Expuleris: expelle precor; resipisce: *Britannus*
Ibimus in terras ambo: tua damnaq; *Princeps*
Me testante sciet: condignas ne ambige facto
Malbius exoluet pœnas: tu cuncta silenti
Mente fer interea, placidamq; amplectere pacem:
Hæc, & multa Comes *Butlerus* talia fatus

Obticet:

Obticet: aſt veluti violentus flumine torrens,
Obſiſtunt quacunq; trabes, ſquaroſaq; ſaxa,
Sævior aſpicitur, maioriq; impete fertur:
Deſmonium haud aliter Comitem placare furentẽ
Quo magis *Ormonius* Satrapas molitur, & urget,
Hoc magis ille furit, flagratq; cupidine belli:
Nulla ſibi cum gente *Angla* fore fœdera iurat
Pacis in æternum: quas & ſuſceperit iras
Haud quaquam ex animo lapſuras, otia priuſquã
Spiritus in vacuas mutandus deſerat auras.
Talia multa diu bacchantem *Ormonius* Heros
Audijt: aſt tandem feſſus, ſic ora reſolvit. (ſtris,
Perge, age, cum monitis nequeas acquieſcere no-
Quo furor, & quo te Stygiæ exhortãtur Erinnes,
I præceps; operare tuam, generiſq; ruinam.
Luceſcet, mihi crede, dies, qua noſtra pigebit
Conſilia ſprevitſe: dies monſtrabit & illa,
Quanta tui me iam divexet cura: ſed hoſtis
Tum tibi quantus ero? quã vellẽ ut regia ſupplex
Sceptra colas, caſumq; tuum, cladeſq; tuorum
Prævertas: ſemel at contraria ſi arma movebis,
Hic amor, hæc pietas, hæc omnis cura repente
In crudele odium vertentur, & hoſtica corda:
Sic fatus, ſurdo ſe fundere inania fruſtra
Verba videns, repetit *Proregem*, & protinus armis
Omnia *Momonia* munirier oppida & urbes
Fecerat *Auguſtis*; mox poſt vexilla moveri
Regia, & hoſtiles æquo concurrere campo

Sollicitare

Sollicitare acies: sed nec committere pugnam
Audet *Desmonius* Satrapas; nec fidere cellis
Arcibus: immensis mavult se credere sylvis.
Ergo *Augusta* cohors invadunt ocius omnes
Desmony comitis turres; queis regia postquam
Arma ingressa, domos regalia signa feruntur.
Hostibus ast animi nondum cecidere, nec illos
Vlla importuni cæperunt tædia belli.
Iamq; quod illorum rabiem stimulaverat ingens
Classis ab *Italia* non fausto sydere funes
Quæ solvit, *Mauritiadis* ventura *Iacobo*
Martis in auxilium, *Smerwicca* appellitur oris.
Huc *Geraldiadum* rapidis non tardior Euris
Dux volitat, latiaq; viros tellure profectos
Excipit humanus, consolaturq; trementes,
Ob *Mauritiadæ* fata immatura, fretoq;
Rursus in *Ausoniam* cupidos remeare remenso.
Hæc inter læto *Tiperarius* omine ductor
Obvius *Ausonijs* avidus procedere turmis
Arva per Eois *Kerie* contermina campis
Martia signa movet: Comes hoc *Desmonius* audit
Lætaturq; : inter *Misy* borealia montis,
Littus & æquoreum, petris horrendus, & umbris
Angustusq; iacet limes *Burgundulus*: illinc
Montibus, hinc ponti tumidis defenditur undis:
Hac quod iter pubi *Butlere* sciret eundum,
Huc celer accitis Ductor *Desmonius* armis
Fertur, & armato prærumptam milite faucem

Obstipans

Obſtipans, veluti nequeat victoria partem
Amplecti adverſam, bacchanti talia voce
Fulminat: heu miſeris cædes, & funera quanta
Butleris inſtant? mihi quas hoc limite pœnas
Dux *Butlere* dabis? triplices tibi fila ſorores
Hic extrema legent: fuerat *Burgundula* fatis
Semita dicta tuis, primum cum matris in alvo
Conciperere: furens, iter irremeabile tendis.
Hæc ait, at poſtquam cui ſic allatrat, adeſſe,
Signa per horrendas alacrem *Mavortia* fauces
Ducentem vidit, gelida formidine pectus
Contremit, inq; fugam ſubitis convertitur alis.
Haud aliter vultu minitans, & voce ſuperbus
Obſeſſis *Capuæ* prorumpens *Taurea* quondam
Mœnibus, illuſtrem bellandi gloria *Aſellum*
Irritat in *Martis* furias, probriſq; laceſſit
Acribus abſentem; ſed vix certamina vidit
Intrantem, cum terga fugæ dat, & abijcit arma.
Palantum multos volitante per Æthera plumbo,
Miſſilibuſq; alijs, longinquo funere ductor
Opprimit *Ormonius*: ſed non decernere ferro,
Collatiſve datum committere prælia ſignis.
Hinc igitur cæpto *Smerwickam* tramite, nuſquam
Interruptus adit, nec non *Lauretibus* armis
Improviſus adeſt, miſcereq; ſigna laceſſit:
Sex ibi nequidquam ſoles, totidemq; moratur
Noctes, nunc æquo concurrere *Marte* fatigans;
Nunc iras ſtimulans probris, & inertia carpens
Corda

Corda virûm: ſed ceu quo plus calcaria feſſos
Effodiunt armos lente gradientis aſelli,
Hoc magis ignavum pecus obtorpeſcit eundo:
Illi non aliter, quo plus in prælia ductor
Provocat *Ormonius*, probriſq; miniſq; tumeſcens,
Hoc magis horreſcũt pugnâ: & prorũpere caſtris
Hoc minus audaces: quoties invadere vallum
Ormonius tentat? ſed inexpugnabile cernens,
(Nam neq; baliſtæ, nec qua ſubvertere poſſet,
Vlla alia hic fuerat bellorum machina preſto)
Obſidium tandem ſolvit, pubemq; *Geraldam*
Inſequitur, ferro devaſtans omnia, & igne,
Qua fert cũq; aquilas: quã multa armẽta, gregeſq;
Dirimit? in cineres quam plurima limina flammis
Convertit? quantas clades, & funera fundit?
Iam *Geraldinus* ingens tremor arripit: arma
Cuncti execrantur taciti, pars maxima coram,
Abijciuntq;: placet veniam pleriſq; precari
Actorum, legumq; iugo ſubmittere colla.
Hæc ubi ab *Ormonio* fœlici Marte geruntur,
Grayus obſidio *Prorex Laurentia* claudit
Caſtra ad *Smerwiccam*, comitiſq; exterrita ſtatu
Deſmonij dubio ſignis victricibus intrat.
Iam belli vis fracta omnis, contuſaq; ſed poſt
Reſtaurata brevi: verrit nam cærula ductor
Vere novo *Ormonius*, Britannorumq; ſenatum
Viſitat: hic redeunt animi, ſolitiq; furores
Deſmonio, infauſtis iterum ciet arma, viroſq;

Ominibus,

Omnibus, subitoq; quatit regnũ omne tumultu.
Tu. bidus extemplo spumosum transvolat æquor
Rumor ad *Angligenas*, horrendo murmure motus,
Momonia excitos, referens, renovataq; bella.
Hic regina, licet proceres, tetricusq; Senatus,
Ancipites cuinam tanti provincia belli
Committenda, diu turbata mente movebant.
Protinus accito *Butlerum* milite mandat
Accersi comitem, placidis quem vocibus ultro
Sic effata: premit nostrum stupefacta senatum
Cura, quis attonitis ductor succurrere rebus
Audeat *Hybernis*, motos quem posse tumultus
Momoniæ pacare putent, regnoq; quietem
Ferre: sed his toties tua non levioribus ante
Turbinibus tentata fides, infractaq; virtus,
Hoc tibi me pondus, molemq; imponere cogunt.
Ergo age, macte animis, Heros invicte, laborem
Hunc velox, lætusq; subi, te præmia certus
Digna recepturum meritis. *Ormonius* ora
Sic contra solvit; labor illustrissima princeps,
Quod cupias, monstrare, tuus: mihi iussa morari
Fas non est: quicquid possum, vitamq; fatendũ
Imperio debere tuo: sic fatus habenas
Armorũ accipiens alacer, petit æquora, & austris
Carbasa protendit, ratibusq; volantibus oras
Fertur in *Hybernas*: hic quanta enormia? quantæ
Ærumnæ? qualis rerum confusio? totum
Martia sed quanquam regnum rabiesq;, metusq;

Con-

Concuſſit, *Butlera* magis ſunt omnibus arvis
Triſtia; nam raros patiuntur vomeris ictus,
Raraq; tecta tenent, quæ non æquata reliquit
Flamma ſolo: at multas ibi cernere dira gementes
Funera natorum matres; immenſaq; cæſos
Agmina plorantum viduarum audire maritos
Huc primum advehitur Satrapas *Ormonius*, omni
Spe prope deiectis animos laturus: at inde
Mox vexilla movet, flammiſq; cientibus arma,
Hoſtiles populatur agros: ſed ut ante iuvencus
Dura iugi paſſus violento vulnera collo,
Cum videt ad ſolitũ domitos compellere tauros
Mane opus agricolam, tremit, attonituſq; per alta
Culmina præcipitis fugit alis ocior Euri:
Sic *Geraldiadum* ductor. ſocijq; rebelles
Experti infractam *Butleram Marte* iuventam
Ante, lacetſentem cum iam certamina cernunt
Ormonium trepidant, & ad interiora vocato
Sanguine, palleſcunt artus: quam iungere pugnã,
Nil magis horreſcunt: denſis iuga inhoſpita ſyl-
Immaneſq; petunt ſcopulos, atroſq; receſſus. (vis,
Nec tamen his tuti: *Satrapas Ormonius* illos
Inſequitur, quacunq; manent, & fortibus armis
Hinc, illinc, abigit, ſpumantia funera patrans,
Ductoriſq; intra binos caput ipſius annos
Regina extincto bellorum turbine mittit.

ORMO-

ORMONIS

Liber quintus.

ALma diu nimium quibus abfuit exul, ad oras
Iam pax *Hybernas* pernicibus aëra pennis
Tranat, at *Arctois* in regni ſidere arenis
Non datur: hic *Hebridum* heroum celeberrimus
Ricnea cui ſervit *Somurlus Flavius*, Enyo (ille,
Accomitante, Deæ ſubeunti littora currit
Obvius, & trepidis armorum horroribus arcet
Portubus ex illis: confuſa pudore repulſæ
Ormonium petit illa ducem, ſolitamq; querelis
His implorat opem: Satrapa fortiſſime, regni
Huius laus, & honos, propugnatorq; ſalutis
Et noſtræ, & patriæ, caput obiectaſſe periclis
Quid toties, tantiſq; iuvat? *Borealibus* oris
Me pepulit, diraſq; faces accendit & omnem
Vltoniam turbare parat dux *Scoticus*, ante
Se victum *Mavorte* tuo bis terga dediſſe
Oblitus: tu pelle moras, fer & arma, viroſq;
Lætus in *Vltoniam*: revocato vulnere vires

Coge

Coge virum meminisse tuas: hoc ni facis, exul
Heu ego ab *Hyberno* terras procul orbe remotas
Quærere compellar rursus. Dea talibus ora
Supprimit; his Heros contra *Tiperarius* infit:
O mihi præ cunctis semper venerata Deabus,
Qua nihil in terris, neq; cœlo pulchrius extat,
Iustitiæ, fideiq; parens, sinceraq; nutrix,
Qua sine nil tutum, nil delectabile; tristes
Pelle procul curas maiora pericula multo,
Maioresq; meo compressus ense tumultus
Vidisti: fractum ne me iam cedere moli
Huic credas: esset nimium fuga sera laboris
Illa: mihi requies aut parva aut nulla futura,
(Iuro polos) donec fuerit tua numina supplex
Placare enixus dux indomitissimus ille
Scoticus, Vltoniæ qui te dimoverat arvis.
Interea regni reliquis in partibus ede
Imperium secura tuum, rerumq; potire.
Talia voce refert, necnon re præstat: arenis
Alta stat *Arctois* rupes, atq; imminet undis,
Cuius in aerio sublimis vertice turris,
Et quam fossa solo dirimit prærupta, vocatur
Dunliff: hoc hostis vix expugnabile asylum:
Huc ergo *Ormonius* Satrapas, *Prorexq́*, *Perottius*
Augusto celeres comitanti milite tendunt,
Oppugnantq; arcem: sed dum tenuoria prorex
Tuta fovet, satrapas circumvolitantibus aures
Ormonius plumbis, vastisq; molaribus, ingens

Quos baliſta iacit, muros metitur, & acres
Accendit ſociorum animos, dictiſq; quod urget,
Ipſe ſuo exemplo ſancit: flammantia in aream
Pondera turrifraga primus librare boarda
Audet, & obſeſſos concuſſo pariete primus
Formidare facit: panduntur mœnia quinto
Sole, & bellorum ſimul omnis corruit horror.
Protinus auratos conſcendit candida currus
Pax, & per regni totius cuncta triumphans
Arva, urbes, montes, convalles, oppida, ſylvas
Fertur, & exultans Saturnia regna rediſſe
Nunciat, & ſtygias horrentia bella ſub umbras,
Armaq; cum furijs propulſa, & ab æthere terras
Aſtræam petijſſe: ſcabro pro vomere mutat
Æratam hic miles galeam, ſtivamq;, pedumq;,
Pro gladio, iaculoq; capit. Tuta omnia poſtquam,
Et tranquilla videt Satrapas *Tiperarius, Anglas*
Navigat in terras, patriæ poſcente ſalutis
Id cura. Dignos nequiens his reddere honores
Promeritis. Longo luctu langueſcit *Iverne.*
Hac ubi germanam ſenſit marceſcere cura
Anglia, confeſtim triplici diademate cincta,
Et maieſtatis pleno circundata amictu,
Auguſta coram comparens principe *Eliſſa*,
Imperio cuius faſceſq;, viroſq; regendos
Eſt largita ſuos, Auguſtas talibus aures
Sollicitat dictis. Ter fœliciſſima princeps,
In qua coniunctim ſevit natura, poluſq;

Quæ

Quæ celebres alios faciunt diuisa Monarchas:
Dira meam penitus corrodit cura sororem
Iuvenam, & meritò, quod cuius fortibus armis
Exitium toties fugit, placidamq; quietem,
Qua fruitur tandē, post tot discrimina, nacta est,
Nesciat *Ormenio* quæ reddat digna *Dynastæ*
Præmia promeritis; eadem potioreq; multo
Iure meos vigilans ac irrequieta remordet
Anxietas animos: etenim quod fecit *Iernæ*
Maximus ille, mei Satrapas id fecerat ergo:
Illius & memini, (decet ó meminisse) diei,
Qua tria sceptra tuæ hæc idē invictissimus heros
Germanæ valido tutatus *Marte* ferumq;
Captivum ex acie per regia tecta *Wiettum*
Traxit: honorandus tam commemorabilis acti
Patrator quantis titulis? quantisq; triumphis?
Hos maiestatem supplex ego sacra decores
Princeps posco tuam: cognoscant sæcula quanti
Virtutem facias; tali & sub principe quanta
Libertas servire & honos: digniſſima merces
Ipsa licet sibimet virtus, secura fugacis
Fortunæ; nec egens vani clarescere vulgi
Plausu, luce nitens propria, proprijsq; tumescens
Divitijs: alter tamen est * *Gangeticus* ales *1. Phœnix
Dicendus, nudam quicunq; amplectitur illam.
Illius longe minus est flammata cupido,
Et minus insatiata sitis, quam fervor honoris.
Hæc ubi dicta silet; contra sed protinus edit

Hæc *Regina*: diu tacito pol pectore mecum
Virtutemq; fidemq; viri mirata, parabam
Quod petis effectum dare crebro, & publica vota
Sola tua, assensusq; parens veneranda, manebã;
Ergo lubens illa tam teq; tuamq; levabo
Germanam curã; summis onerabitur a me,
(Nec mora longa manet,) *Butlerus* honoribus
Hæc ait & paulo posthæc heroa catervis (heros.
Stipatum Augustis, gemmisq;, auroq;, micantem
Winforiam mittit: celebri insignitus honore
Garterij, & fulgens stellato colla monili,
Vnde ubi Reginam repetit, sacrumq; senatum,
Hui quot spectatum currunt? quantæq; pudorẽ
Matronæ nimio spernunt fervore videndi?
Quantus plaudentũ fremitus? quã plurima circũ
Cornua gratanti transcendunt nubila cantu?
Dũ tamen *Angligenæ* celebrãt hæc tanta trophæa,
Tantorumq; omnes *Hybernas* læta per urbes
Fama triumphorum fertur, liventibus atrox
Alecto invidiæ stimulis accensa, tumensq;,
Tartareis lacerat contortos unguibus angues,
Inclusamq; fero rabiem sub corde nefandis
Detegit his dictis: quid inanes ferre colubros?
Quid tetris cingi facibus iuvat? aurea terris
Sæcula proh rediêre; fides, pietasq; *Iouisq;*
Progenies *Astræa* regunt, & ubiq; coluntur.
Quinetiam *Hybernos* queis nostram nulla fugare
Vis potuit sobolem primũ, ex quo habitarier orsi,

Alta,

Alta, et crinita iam pax cervice per agros
Exultat, pulsoq; canit *Mavorte* triumphum.
Adde quod in nostri monumẽta æterna pudoris,
Iustitiæ, fideiq;, tenax, & pacis alumnus,
Marte licet nulli cedens *Tiperarius* Heros,
Nunc apud *Angligenas* sacro insignitur honore
Garterij: an victam me tanta opprobria ferre?
Ibo, ibo, expromam quicquid *Phlegetontis* opaca
Antra tenent Stygij sceleris, diriq; veneni;
Confundam mortale genus, per numina iuro
Styx tua, & unanimes fratres in bella ciebo:
Omnia at ante meas regna, experietur *Ierne*
Infractas vires: segnem mea toxica pacem
Illinc ejcient, vincla et concordia rumpent.
Præsenti *Butlere* tuo lætare triumpho
Dux, at honos onus hic fiet. Mihi crede, voluptas
Nunc tibi quanta datur, tantum, maiusq; laborũ
Non expectanti lucrabitur incrementum.
Sic fata horrendo deformes edidit ore
Mugitus, totum queis contremefecit *Avernum*.
Horrescit ferus ipse pater, quem iura silentum
Sunt penes: umbrarum custos, & ianitor *Orci*,
Cerberus immanes claudit formidine fauces.
Intrepidæ sonitum solæ audivêre sorores,
Germanamq; dato signo petiere volucres
Tisiphone ultrici nunquam viduata flagello,
Et quæ cognata quæsitum cæde cruorem
Insatiata sitit monstrum crudele *Megæra*.

Quas ut præsentes videt illa, hortamine longo
Non, ait, utendum: superas properemus ad auras,
Mollia sanguineis pellamus ut otia bellis,
Vtq; cruentato turbemus turbine pacem.
Haud illæ causam quærunt: iter ocius omnes
Funestum arripiunt, celeresq; per abdita pennas
Concutiunt, quamvisq; aditus ad *Tartara* mille
Vndiq; pandantur, qua solus tendit *Iernes*
Incola, noctigenis placuit volitare Deabus,
Despectis queiscunq; alijs; postquamq; sub orbe
Exierant superum, regni, mora nulla, *Boreos*
Advolitant tractus: nunc, nunc heu nâq; nocendi
Spes ibi certa datur. Coram *Prorege*, foroq;
Iuridico capitis reus accusatur, & auram
Extremam exhalat crucis alto e culmine pendens
Macmahonus: cuius cum sceptris mœnia, & arva
Confiscata forent, timor ingens occupat omnes
Vltonie reliquos Satrapas: ea barbara quippe
Natio, & Augusti mage nil quam iussa senatus
Oderat, *Hybernum* tanquam delentia prorsus
Et decus, & nomen: malesani hæc nacta furoris
Semina *Tisiphone*, primas accendere flammas
Protinus aggreditur: canos mentita seniles,
Cuilibet Heroum falsa sub imagine patris
Apparet, vel avi, blandisq; his vocibus illum
Sopitum affatur. Mea gloria, nate, decusq;,
Et spes una tuæ stirpis, tua ducere molles
Rebus in his dubijs mirabar lumina somnos.

Cernis

Cernis ut *Angligenæ* tentantes omnia, nomen
Queis queat *Hybernũ* extingui, nova iura, novasq;
Inſtituunt leges, quas ut violare neceſſe
Eſt, tamen hoc fieri, crimen capitale putatur:
Hoc aliud nihil eſt, tibi quam proponere, mavis
Vtrum ſponte tua quærenti pectora ferro
Obvia ferre; enſem vel dum vitare minantem
Niteris, in medios invitum cogier ignes.
Erige nate animos, crudelem e finibus aude
Bello arcere tuis gentem procul: arma movere
Te ſimulac cernent alij, confide, ſequentur
Multi: tam claro pulchrum primordia facto
Reddere: perge igitur decus indelebile noſtrum,
Tempora ne differ: propiora pericula currunt
Quaq; die: documenta tibi ſint triſtia fata
Macmahoni: ſtultus quem non aliena pericla
Prudentem reddunt. Alterne talia fatur
Plurima nobilibus virgo ſata nocte, comaſq;
Proijcit anguiferas illorum in pectora. Virus
Incipit extemplo tacitis ſe ſpargere venis,
Paulatimq; virũm funeſto corda furore
Corripit. Occultum primus detexerat ignem
Maguir, & rapidis primus confundere pacem
Motibus eſt auſus, quem contra fortibus armis
Tironiæ quamvis heros pugnaverat: ipſum
Attamen authorem ſceleris belliq; ferebant:
Quicquid at illud erat, nondum contraria corã
Arma movet: ſi quid ſceleris parat, omnia caute

Molitur: sed fata nimis crudelia regno
Has exosa moras, alias ad bella cienda
Invenere faces. Diva *Cythereide* natum,
Qui, quamvis cæcus, certo iacit omnia tractu
Tela; nec hamatis fixam contingere metam
Vnquam frustratus iaculis, imbellis & ipse
Qui puer armatis, sembusq; immania fræna
Injicit, & vinclis Divosq;, hominesq; cathenat
Talibus affantur dictis: ter maxime Divûm,
Atq; hominum terror, si quid tua spicula nobis
Vnquam profuerant, sine queis hæc æra ruinam
Iamdudum perpessa forent, & noster inanis,
Incassusq; labor perijsset, nunc opus ingens
Arte tua est, arcuq; tuo: delabere cœlo
Protinus, *Hybernaq;*, cito pete remige terras:
Illic virgo decens, soror intemerata tribuni
Vrslea Bagnalis, cuius connubia certo
Nostra hæc *Tironis Comiti* tabularia spondent:
Frater at illius placitis obsistere Divûm
Nitetur; tantasq; moras, obstaculaq; rebus
Tam multa injiciet, solis *Hymeneia* vestris
Artibus ut possint, aut nunquam fœdera iungi:
Ergo potens, & magne Deus tua numina sperat
Et suplex implorat *Hymen*: tu vincere iustis
Obnixisq; Dei precibus: fata irrita solvi
Ne sine. Fatales his obticuere sorores.
Quæ contra haud quicquã fatus *Cythereius* ales,
Extemplo, (gaudebat enim se talia posci)

Nudum

Nudum iactatis librat medio aere pennis
Corpus, & arva petit veloci *Hyberna* volatu:
Hic properè binas pharetra pendente Sagittas
Sumit amoriferas. Æstuantes prima calores
Tironij accendit venis, imisq; medullis.
Altera inextinctis *Vrsicos* ignibus artus
Vrit, & æratis, adamantæisq; cathenis
Incauta irretit formosæ corda puellæ.
Par amor, & paribus votis in sacra coire
Iura tori flagrant ambo: sed virginis obstat
Frater, & accensas penitus restinguere flammas
Aggreditur queiscunq; modis. Labor irritus autē
Ille fuit. Veluti sternax, rapidusque, feroxq;
Nec frænis assuetus equus, mage stricta trahūtur
Quanto lora, magis tanto calcitrat, in altum
Cruribus erectis, nixuq; repugnat habenis
Maiori: pariter quicunq; cupidinis acrem
Ambrosiam, & pleno mellitum gutture virus
Sumpserunt, quo plus pulso resipiscere tabo
Suadentur, longe magis hoc incendia crescunt:
Circum bina quater *Borealem* millia ad axem
Distat ab *Eublana* locus, alto nomine notus,
Gratia * *namq; Dei* priscis est dictus, idemq;
Nomen adhuc retinet. Solita est plerumq; morari
Hic virgo. Hūc igitur *Tiperarius* impiger heros
Currere consuevit, dulcemq; invisere amatam.
Hinc illam tandem, cum spes alia omnis abesset,
Surripit, incauto, necnon nolente tribuno

* Grace de diu.

Tironius

Bagnali,

Bagnali, & ſecum duranti fædere nectit.
Hinc non parva mali labes: hinc aſpera ſurgunt
Diſſidia, ingenteſq; iræ. Depoſcere ſponſus
Neſcio quot libras (dare magnâ quippe tribunus
Germanæ dotem poſtremo velle parentis
Devinctus fuerat:) ſed faſtidire ſororis
Ille, (quid ignoro,) delectum, æriſq; pigebat
Solvere tam ingentem molẽ: nimis aggravat ergo
In comitem, quicquid tacito rumore vagatur:
Illius inſtinctu *Prorex*, alijq; ſenatus
Prendere apud *Dundalck* captivũ heroa volurant
Inter ſe taciti, incautumq; in vincla ligare.
Quam quia mutarunt mentem, tentaſſe malorũ
Nonnihil attulerat regno. *Tironius* ante
Anceps, aut ſaltem cautus, metuenſq; futura,
Haud ſceleris quidquam liquido parravit: at inde
Vſq; ſibi metuens (etenim quæcunq; latenter
Molitus, patefacta videt) mutare teporem
Paulatim in flammas cæpit, tandemq; cruenta
Totus inardeſcens rabie, nil triſte moratur.
Tam cautum validumq; caput, patienſq; laboris,
Exeſæq; famis, tempeſtatumq;, & acuto
Ingenio pollens, & diſſimulare peritum,
Accenſum ſimulac ſtygiæ videre ſorores,
Alecto irarum genitrix, & ſæva *Megæra*,
Multum lætantes inter ſe talia fantur.

En ſoror ut noſtris reſpondent omnia votis:
Tironius capit arma Heros; optare quid ultra
Poſſimus?

Possimus? pulchrè per Polsua munia pergit
Tisiphone: nostras sed quæ clementia mentes
Languida corrupit: dudum præclara sororis
Nos exempla sequi decuit: Torpentia corda
Pellamus non digna procul, nostrasq; vicissim
Præstemus partes: bella augmentemus, & arma.
Sic fatæ horrifico quatiunt stridore volucres
Æthera per variuna pennas, laxisq; comarum
Rictibus horrendis, piceum, rabidumq; venenum
Effundunt, quacunq; volant, & millia cæcant
Pectora. Magnanimos *Alecto* invadit, & ære
Tartareo inspirans, mollem damnare quietem,
Otiaq;. Ast lucri, pinguisq; *Megæra* rapinæ
Spe, cupidum vulgus funebria in arma trahebat.
Vtraq; fœlicem funesto habuere labore
Successum. Primò subitis *Vltonia* bellis
Tota inflammatur. Mox & *Connasia* paucis
Exceptis. Pariter diro *Laginia* tabo
Tota fere inficitur. Postrema *Momonia* flammas
Concipit, & multis feralia toxica membris.
Martis ubiq; fremunt horrorq;, metusq;, nec ullus
Angulus, infestis qui non confunditur armis.
Quos Serpentigeræ non corrupere sorores,
Attoniti plerique iacent, tacitique sepultos
Suspirant gemitus, non ausi tela movere.

Ast veluti cunctis maria ante impervia nautis
Cum *Colchos* verbosa petens, corraderet *Argo*,
Hincq; minarentur latrantes *Tartara* fluctus,

Illinc

Illinc terribiles coeunti vertice rupes,
Horrescit *Pelopea* manus, salsusq; per artus
Sudor it: at tanto sollers discrimine *Tiphis*
Fatidicam frænare ratem, pontiq; ruinas
Exuperare ausus. Nunc omnivoracia *Scylle*
Ora petens velis, nunc vasta ad saxa *Charibdis*
Detorquens animosus iter. Sic inclitus heros
Ormonius quassis audet succurrere rebus,
Attonitis queiscunq; alijs: utq; omnia lustrans,
Cunctaq; vivifico restaurans lumine *Phœbus*,
Vlla non unquam requie donatur: ad oras
Vt primum *Hesperias* curru defertur, ad ortum
Perpetuum convertit iter: posituſq; in *Eoo*.
Ilico in occasum candentia plaustra retorquet.
Sic ille invictus patriæ defensor, in omnes
Regni eversores clipeus protensus, & atros
Contra bellorum fluctus, nimboſq; sonantes
Anchora firma, tenax, nunquãq; emota columna,
Armorum assiduos, incessantesq; labores
Pro patria exercet pugnans, raruſq; penates,
Aut charam invisit prolem, dulcemve maritam.
Nunc adit *Arctoos* signis properantibus hostes;
Vnde ubi signa datur, validoſq; movere maniplos,
Nunc per *Momoniæ* sylvas, & rura *Geraldos*
Persequitur. Vasto nunc truncat funere *Moros*
In *Lesia*: *Ranalagh* ferro flammisq; per agros
Nunc furit, illorumq; lacessit in arma rebelles.
Et licet impatiens operum, curæq; senectus,

Ad

Ad ſecura virum iam ſuadeat otia; (namq;
Sex decies pluresq; hyemes exegit;) at ægrè
Frigora cum ferrent alij florente iuventa,
Inq; aulæa tectis, atq; igne propinquo,
Ille per immanes ſcopulos, nivibuſq; profunda
Culmina, & accretas ventis algentibus undas,
Infractos media ducebat nocte maniplos:
Proq; domo, & molli ſtrato, ſub tegmine pellis
Carpebat gelido pleroſq; in gramine ſomnos.
Hui quam non victo cœliq;, ſoliq; minantes
Pectore contuderat vires. Iactare labores
Mittant *Herculeos* priſci. *Perſea* pericla
Theſbiades taceant, *Hippocrenenq́*, reliquant:
Ormenium advolitent: hic longe purior unda;
Hic mage fœlices campi: decerpere plures
Hinc poſſunt flores, queis marceſcentia nunquã
Serta legant. Cuperem complecti ſingula: ſed me
Impedit actorum moles immenſa: ſed anceps
Mens quidnam ſileat. Se commemorarier urgent
Omnia: perpetuis ſunt omnia digna trophæis
Aſt ne Pierios laſſarent pondera currus,
Neve alijs ullas Herois poſſe referri
Quis credat laudes (etenim quod geſſerat ullus
Proregum: quicquid vulgo geſſiſſe ſtrategum
Fama refert ullum, totius maxima cedit
Gloria *Butlero Satrapæ*) duntaxat ab ipſo
Solo geſtorum quædam modulabere noſtra
Calliope; quædam dixi, nam cuncta nequires.

Vltonios

Vltonios intra fines cum bella per annos
Iam multos luctata forent, excedere metas
Mars audet solitas, totoq; excurrere regno.
Præcipue exempto crudeli funere *Burrogh.*
Id *Regina* videns, mœstoq; in pectore volvens
Cunctorum imbelles animos, infaustave fata
Proregum, aliûmq;, quibus commissa gerendæ
Cura hucusq; rei, belliq; potentia tota:
Multum animo tristis fuerat, multũ anxia mente,
Cui belli iam fræna daret? quis pondera ferre
Tanta queat rerum. Media anxietate sed illa,
Vsq; inconcussas meminit vires q;, animosq;
Intactamq; fidem, numenq; in *Marte* secundum
Ormonij comitis: grandem hanc imponere molẽ
Illius ergo humeris placuit. Mora nulla: feruntur
Regia ad *Hybernas* spumosa per æquora arenas
Illustrem ad Satrapam, facumq; edicta senatus.
Illi præcipitur bellorum sumere habenas:
His animo Herois parente capescere iussa.
Hui nisi sera forent, fuerant quã prospera regno?
Servarant quot mille animos? quot funera, fiam
Et prædas poterãt isthæc mandata vetare? (mas.
Ast ceu quem dorso vitulum gestâre puelli,
Iam Taurus sævis certare Leonibus audet,
Sic incæptantes hi qui potuere tumultus
Compesci faciles, heu iam sine sanguine multo,
Cædeq;, & immensa pacari mole nequibunt.
Impiger Augusto paret *Tiperarius* Heros

Im-

Imperio, ponduſq; ſubit, molemq; ruentis
Regni, nec caſus ullos, ulloſve labores
Horreſcit, quacunq; urgent propiora pericla,
Illuc ſigna rapit, feſtinanteſq; catervas.
Ac primum ut valido transfodit *Caſſius* enſe
Natum, qui patrios * muros decreverat hoſti
Prodere; ſic noſter patriæ fidiſſimus alter
Caſſius hic binos germano ex fratre nepotes,
Qui portentifica polluti tabe, tumultus
In patriam diros, Auguſtaq; ſceptra cierunt,
Omnes ante alios ſignis ultricibus hoſtes,
Perſequitur, dignaq; ambos mercede laborum,
Crudeli punit fato, & demittit ad umbras.
Hinc ipſam armorum lernam, fontemq; cruenti
Turbinis, *Ultonios* aquilis hoſtilibus agros
Quærere conſtituit; ſed cum ſol ultima ad auſtrũ
Iam luſtret radijs obliquæ ſydera Zonæ,
Et Regina brevi plures miſſura catervas
Auxilio ex *Angla* tellure, ſenatus, & ipſe
Conſilio pollens, belloq; induſtrius Heros
Hunc mutâre animum. Placuit connectere belli
Cum duce *Tironio* inducias, *Martemq́*, parumper
Ponere. At haudquaquã *Martis* molimina ductor
Ormonius ponit: veluti formica per æſtum
Colligit, hyberno queis vivat frigore farra.
Sic ille, ingenio dubium qui maior, an armis,
Cuncta, quibus timeat pacta ceſſante quiete,
Dum nunc arma ſilent, communit mœnia multo
Robore,

* Romæ.

Robore & ad primos quoscũq; accingere motus
Se videt, (heu quorũ vix est numerare catervas)
Nunc prece, nunc pretio, nunc & terrore, minisq;
Reginæ præstare fidem, tutamq; fovere
Sollicitat pacem, damnisq; cavere futuris,
Nec minor e contra *Tironi* cura ciendis
Motibus occultè: labor hic nec perditus. Heu
Illicit in pedicas: primus quos extitit inter (quot
Barnardus fuscus, *Mororum* e sanguine cretus:
Qui licet obscuris (ut fama) parentibus ortus,
(*Mororum* de fæce etenim venisse ferebant,)
Armorum ast clarus studijs, animisq; coruscus
Vir fuit. Hic media magnos æstate tumultus
Comitatus Laginiensis Provinciæ. Excitat in * *Lesia*: sed non impune. Citato
Illuc *Ormonius* gressu contendit, & atris
Sylvarum in latebris compellit ad arma rebelles,
Ductoriq; ipsi vitalem surripit auram.
Hæc inter coram rescindere fœdera ductor
Tironius cœpit, licet haud indixerit arma.
Distat ab *Ardmacha* tria millia, binaq; circum
Arctoos versus fluctus, celeberrima turris:
Non procul a furvo scituatur flumine; cuius
Otherwise Blackewater fort Nomẽ habet, vocitãt alio nũc nomine (*Charlmont*.
Hanc æquare solo cupiens *Tironius* arcem,
Illuc innumeris pergit stipantibus armis,
Crudeliq; locum premere obsidione parabat.
Obvius ire illi Satrapas *Butlerus*, & æqua
Decertare acie statuit. Sed fortia, (regno

Sic

Sic heu, ſic placitum nimis infœlicibus aſtris)
Cæpta viri a toto ſunt interrupta ſenatu.
Omine at infauſto, necnon bubone ſiniſtro
Bagnalem, Comitis quod ferventiſſimus oſor
Eſſet *Tironij*, mole hac onerâre tribunum.
Multa diu contra nequidquam *Ormonius* heros
Diſſerit, inter quæ, maiores viribus hoſtes
Pro certo affirmat, divinaſſitq; futuros,
Viſo *Bagnalem* (cuius mage nectare cuncto,
Et dulci ambroſia ſitiunt inhiantq; cruorem)
Inflato in *Martis* lituo deſcendere arenam.
Fundit at incaſſum ventis iactanda *Dynaſtas*
Verba. *Molorchæi* cum iam poſtrema leonis
Limina luſtrarent *Phœbeia* plauſtra: vigenti
Stipatus ductor vexillis *Bagnal*; in hoſtem
Infauſtum molitur iter: confinia nigri
* Amnis at ut tetigit, *Tironius* obvius illi
Fit Comes, & ſubitò ſtrictis concurritur armis.
Hic ter quingentos pedites amiſit, & ipſe
Hic animam ultrici poſuit mucrone tribunus.
Succeſſu lætus tanto *Tironius* arcem
Protinus invadit, faciliſq; expugnat, & intrat.
Iam *Kevanos, Brunos, Toholos*, alioſq; rebelles
Lagniæ auſtralis Satrapas *Ormonius* igne
Et ferro invaſurus erat: ſubtriſtia verum
Hæc ubi ab *Ultonia* cognoſcit nuncia, cæptum
Deſerit, & *Mediæ* rapidus contendit ad oras
Ariſtoas, Navanumq́, petit, *Droghdamq́*, aliaſq;

* Blacke water.

Vallatas ſedes, illarum & robora luſtrat,
Præſidijſq; novis ſtipat. Tamen hic mora parva.
In *Leſia* ſubitis quod idonea motibus, atras
Sylvarum ob latebras, horreſcenteſq; paludes
Eſſet, & ad ſævos armorum prona tumultus,
Gens illam coleret, *Mori*: regina *Maria*
Murorum ingentem molem, inſuperabile vallum
Condidit, erectamq; tuo de nomine ſedem
Mariborum dixit, munimentumq; *Mariæ*.
Hanc hinc uſq; arcem centeno milite ſaltem
Stipari ſolitum, nec adhuc aboleverat vſus.
Angligenûm at poſtquam ſtagnârunt ſanguine
Duffavona, *Mori* tentantes omnia, turrem (ripæ
Queis expugnatu facilem hanc confidere, tandē
Hoc unum unanimes ſtatuunt, cuſtodibus arcis
Extremam generare famē, penituſq; ſub umbras
Tartareas miſera conſumptos mittere orexi.
Ergo prius ſocijs collectis undiq;, cæcas
Vmbrarum fauces, necnon vada cuncta paludū,
In vallum quacunq; patet iter, invia reddunt:
Quo facto tollunt animos, ſeſeq; potitos
Iam palma iactant: victoriam at ante triumphant.
Namq; ubi *Butlerus* Satrapas hæc audit, in urbē
Regreditur velox *Eublanam*, & protinus illinc
Aſportans per multa boum præpinguia terga,
Vinorumq; cados multos, panumq; medimna
Plurima, *Mariborum* verſus veſtigia torquet.
Eſt locus aſt illinc non ultra millia quinq;

Qui

Qui diſtat,(vada nigra vocãt)in fauce propinqua
Huic ſedi,taciti venientem *Heroa*, rebelles
Expectant, ſubitiq; illum e frondentibus umbris
Aggreſſi, pugnant acres, & vulnera multa
Inſligunt telis, actoq; a ſulphure plumbo.
Cuius & ipſe *Comes* ſudantibus inſidet armis,
Cornipes ærata tranſacto poplite glande,
Læditur. Immenſa ſed tandem clade rebelles
Oppreſſi, retulere pedem, latebraſq; ſub atras
Se retraxerunt, gaudentes cædere pugna.
Poſtera at ulturos ſperantes vulnera luce,
Illa ipſa *Comiti* occurrunt in fauce, reverſo
Evallo, *Martemq́*, iterum experiuntur alacres.
Heſternæ ſed ſorte pari certamina, fuſi
Luſtra per, & multo confuſi funere, linquunt.
Dubliniam Ormonius primo petit, inde cruentos.
Ultoniæ fines, *Ferneia* viſitat arva.
Hic facit ingentes clades, hic funera multa
Edit & hinc hoſtis prædas aſportat opimas.
Ille aſt *Vltonijs* dum ſic bacchatur in agris,
Momoniam Antonius Rorici, maximus inter
Moros, ac genitus *Laciorum* ſanguine *Petrus*,
Cum multis alijs petiere rebellibus. Arma
Obvia ferre quibus, primoq; occurrere campo,
Momoniæ præſes Thomas Norriſius heros
Cogitat: aſt poſtquam numeroſas undiq; turmas
Collegit, tetigiſſe hoſtem vix audijt oras
Momonias, trepidans miſſo cum milite, quemq;

Quærere tuta sibi iubet, & vitare pericla,
Vt possint. Duce vox ô indignissima tanto:
Quot desperantes animos? imbellia corda
Quot peperit vox hæc? viduata rebellibus heu
Castra relicta metu? multos contraria solo (quot
Arma timore refert fama accepisse. Sed illud
Quo sit cunq; modo, subitis *Momonia* bellis
Tota fere ardet, inexcita atq; immobilis ante.
Inter præcipuos novus hic quos ceperat ignis
Desmoniæ e comitum descendit stirpe *Iacobus*,
Qui *Londinensi* vitam post exuit arce.
Hunc omnes adeunt alij, Comitemq; salutant
Desmoniæ, & capiunt sibi rectoremq;, ducemq;.
Extemplo populantur agri, pecudesq; domusq;,
Cuuctorũ, qui sceptra colunt, pacemve tuentur.
Horrendæ passim strages, incendia passim,
Armorumq; horror, matronarumq; querelæ.
Tantorum simulac monstrorũ fama Dynastam
Venit ad *Ormonium*, spumanti fluctuat ira,
Auctoresq; petit rapido per proxima cursu.
Bis sex *Limbrico* removetur millia in austrum,
Circumvallatus muris, multaq; celebris
Libertate locus, *Killmallock* nomine: fertur
Huc ille imprimis: minitantur mœnia namq;
Expugnare hostes, & iam tentare parati.
Luce sed Octobris decima (memorarier illa
O quam digna dies) *Mavortia* signa videntes
Butleri Comitis, subitaneus arripit horror:

Nec

Nec tantum cæptis desistunt, immo volantes
Abstrusas subeunt sylvas, & devia lustra:
Ormony haudquaquam vicina ferre potentes.
Ille illos (postquam valido firmata reliquit
Mænia præsidio, longoq; hortamine ciues)
Luce dehinc quinta sequitur, *Mallamq́*, laresq;
Ipsius admoto *Norrisi* præsidis igne
Iamiam absumpturis, tristi occurrisset arena,
Ni mutavissent animos, saltusq; migrantes
Consternati, illo raptim veniente, petissent.
Hoc ille occursu frustratus in oppida, & urbes
Momoniæ cunctas armorum robora mittit:
Nec misisse satis, *Corcagia* visitat ipse;
Mænia, *Yogheliamq́* & multis roborat armis,
Consiliisq; : illinc *Desiæ* per culmina postquam
Ad *Suriæ* venit ripas, vexilla movere
Rursus in occasum placuit : duo millia distat
A *Suria*, occiduũ qua proxima vergit ad æquor, *Flumin
Killfiakel, quò cum delatus, pellica figi *Castru
Tecta iubet, veluti tota requiescere nocte
Hic decrevisset. Cœli sed culmine ab imo
Cum Sol ad superos cæpit convertere currus,
Linquuntur pelles; & quinis millibus illinc
Mororum distans ductor, miles q, petuntur.
Ast illi adventum *Comitis* didicere, citiq;
Arripuere fugam, *Lesiaq́* trementia in agros
Signa movent. *Comiti*, fugientia terga sequenti,
Tristis, at heu certus, rumor canit, esse rebelles.

Viscomitem de *Montgarret*, *Caheræq; Baronem.*
Concussere virum subitanea nuncia : sed ceu
Incauta colubrum procultans calce viator,
Crura repente refert trepidus, corpusq; retrorsum
Dat consternatus : sed cærula colla tumentem,
Tollentemq; iubas densis a vepribus anguem
Cum videt, audaci minitantem pectore belluam
Aggreditur, strictoq; offert mucrone ferire.
Sic primum rumore novo stupefactus, & anceps
Ormonius fuerat: nam cui iam fidere tutum,
Et tantos de stirpe sua heroasq;, virosq;
Signa inimica dolet, contrariaq; arma movere.
Ast movisse videns, se digna percitus ira,
Induit ultrices animos, & utrumq; vicissim,
Et simul invadit, flammis, ferroq; lacessens.
Hui quibus, & quantis iactatus casibus ipse
Insectando ambos ? quoties stillante sub æthra
Terrificisq; polo crepitante tonitribus egit
Insomnis gelido longas in cespite noctes ?
Coniugis amplexum media de nocte, torumq;
Deseruit quoties ? & per vada cæca, per atras,
Et cæno horrentes fauces, scopulisq; scatentes,
Per nivibus cooperta iuga, immanesq; paludes
Moverat arma, ambos vigilante indagine quærẽs?
Ast dum vicinos hac sædulitate rebelles
Persequitur, labor ecce ingens, onus occipit illi
Ætnæum in *Lesia*: armamentorumq;, cibiq;
Copia *Mariboræ* deerat custodibus arcis,
Obsessisq;

Obſeſſiſq; vijs numeroſo milite & armis,
Nullum illinc aditum ſtatuunt permittere *Mori.*
Hic ingens, immo metus haud effabilis ulli,
Occupat incluſos vallo; ſperare nec audent
Quicquam aliud, præter famis exitialia fata.
Nec minor interea conſundit cura ſenatum,
Quo pacto afflictis poſſent ſuccurrere, quemve
Tanto animo ſperent, tanto ut diſcrimine rerum
Audeat auxilio miſerè pereuntibus ire.
Connacus quondam præſes, vir ſtrenuus armis
Bingamus, ante alios aptus qui tanta ſubiret
Pondera cenſetur. Duo millia protinus ergo
Quingentis demptis, peditum, turmæq; leguntur
Bis tres alipedum, tanta ſtipante cohorte
Ille ad *Maribori* ſpondet procedere vallum.
Venit ut ad *Naciam* (bis millia ſena remotus
Hic locus *Eublana*) numeri iam certior hoſtis,
Suſceptiq; oneris propius diſcrimina cernens:
Siſtit ibi, non ultra auſus vexilla movere.
Ante ſatis dubij, deſperanteſq; ſteterunt
Præfectus, reliquiq;, arcis queis cura tuendæ:
Nunc illis quẽ rere animum? quæ pectora cenſes?
Ex quo *Chyronis Titan* deceſſerat aſtro,
Mactatis veſcuntur equis, miſerabile dictu,
Abſumptisque ſeſcunq; alijs: nuncq; inſidet *Hirci*
Phœbus in extremis properans *Ganymedis* ad urnã.
Audierat Satrapas hæc, auditiſq; repente
Ormonius molitur opem, ſeptemq; maniplis

Duntaxat, centumq;, feras qui calcibus urgent,
Kilkenia comitatus abit, *Lesiæq́*, citatus
Regia valla petit: locus illinc millia quinq;
Distat in Occiduum, nomen *Belronia*: quem cum
A tergo liquere aquilæ, faucemq; remotam
Mille illinc passus intrâre, rebellibus unà
Laginiæ cunctis fern.è occurrentibus, atrox
Pugna oritur. Subito concurrunt turbine primi
Cornus, effusisq; ruunt in prælia frænis.
Persimili terras collidunt turbine venti
Carceribus motis; pariliq; ardore feruntur
In prædam rabidi ieiuno ventre leones.
Multa alternatis infligunt vulnera utrinq;
Ictibus: insano multi vel pectora ferro
Fossi, aut ignito terebratis ære medullis,
Extremam exhalant animã,& pallentibus umbris
Procedunt comites: ast unam fervidus horam
Vix hic continuat turbo, cum terga rebelles
Dant, infœlicem Martem, clademq; suorum
Diram advertentes. Tumido sic spumeus æstu
Fluctus ab *Oceano* in terras defertur: at alto
Illisus scopulo, dispersis imbribus, æquor
Mox petit. Audaci palantes sistere voce
Nititur *Antonij* frater, spes altera gentis
Moreæ Ludovicus: agit quis degener horror
Heu animos? heu state viri, quo signa refertis?
Hæc aut nulla dies; hic hic, aut non locus ullus,
Æternos *Moris Lesiæ* lucrabitur agros.

Talia

Talia dicentis, circumq; immania fruſtrà
Tela coruſcantis, lethale per ilia plumbum
Tranſigitur, fuſoq; rapit cum ſanguine vitam.
Hinc reliquis vis nulla: omnes ſe credere plantis,
Diverſumq, furor pavitans quâ quēq; trahebat,
Arbore in immenſa tremebundi quærere tegmen.
Quos per inacceſſas ardens ſectarier umbras
Flagrabat *Butera* cohors: at optimus armis
Obſtitit *Ormonius*: iam namq; in cærula pronus
Ibat, & alipedes ignito ſolvere curru
Sol feſtinabat. Vanum ergo quærere ſylvis
Palantes: properatq; heros ſolarier arcis
Cuſtodes: vitare ergo cunctantia quæq;
Mandat. Paretur. Petitur per proxima vallum
Maribori: multa quò ventum nocte per umbram.
Præſidio nox grata illa: haud illuxerat unquam
Lætior ulla dies: ipſis e fauc ibus illos
Eripuit fati, miſeraq; a morte redemit.
Poſterus *Eois* ſimulac *Phœbeius* undis
Exierat fulgor, lumenq; fugarat *Olympo*
Nocturnum: latebris, queis pernoctare, rebelles
Erumpunt, celereſq; locum glomerantur in unū.
Amiſſos hic quiſq; ſuos plorare: peremptum
Hic ſocium: ille patrem, natum mæſtiſſimus alter,
Germanumq;: omnes dolor ingens, curaq; vexat
Anxia, & ultores illa ipſa luce futuros
Tantæ promittunt cladis; ſtygiove ſub amne
Manibus exanimos manes occurrere amicis.

Hæc

Hæc conſpirentes, vultuq; & voce minantes,
Sradbaliam accurrunt (exploratoribus hæc quod
Ormonius carpturus iter) didicere; tumentem
Fluctibus hic fluvium parvus pons obtegit; illi
Roboream evertunt molem: ſtagnantis & undæ
Vlteriore ora conſiſtunt, ſeq; futuræ
Accingunt pugnæ Vaſto quin funere ſternant
Butleri ductoris equos, equiteſq;, profunda
Flumina tranantes, dubitatio nulla tenebat.

Contigit aſt aliter, torrenti nãq; propinquans,
Talibus uſq; ſui memor, expertiſſimus artis
Bellandi *Ormonius*, ripam præmittit ad amnis
Glandibus armatas, ſcloppiſq; boantibus alas.
Quò ſimul ac ventum, flammati pulveris æther
Nube obſcuratur, tormentorumq; fragore
Concutitur, telluſq; tremit, quà dimicat hoſtis,
Et paſſim ſubito madefit conſperſa cruore.
Multa etiam hoſtili ſternuntur corpora plumbo,
Et quamvis capiant longè graviora rebelles
Vulnera; dant aliquot contra, nec prorſus inulto
Funere truncantur. Creſcente at clade fatiſcunt,
Attonitiq; pedem referunt. Tum protinus uno
Per tumidas raptim tranſcurrunt impete limphas
Ormony peditesq;, equiteſque; hoſtẽq; ſequuntur,
Donec in occultos palantem egere receſſus.
At quos iam nequeunt in prælia cogere, paucis
Poſt horis magno poſcentes arma tumultu
Conveniunt. Circum tria millia diſtat in arctum

Spurca,

Spurca, madẽsq; palus *Caterlogh* ab arce: moveret
Hac cum signa *Comes*, circumcingentibus hostis
Frondibus emergẽs, hybernæ ad grandinis instar,
Missilium effundit nimbum, fremituq; minanti
Provocat arma: illi miro fervore pedestris
Respondet *Butlera* cohors: equitantia nil hic
Agmina namq; iuvant: alto vix promere cæno
Quadrupedes possunt vacuos. Asperrima verum
Pugna inter pedites, per tres aut circiter horas
Continuat, multiq; neci traduntur utrinq;.
Ast veluti, quamvis Taurus certare Leoni
Audeat, infractoq; diu cum robore sævis
Dentibus obsistat, tandem discedit arena
Victus, vel moriens animam in certamine fundit.
Sic validis postquam pugnârunt viribus hostes
Cum duce *Butlero*, fuli dant terga, & opacas
Præcipiti gaudent cursu contingere sylvas.
Audijt incerto pugnas rumore senatus
Has, & *Maribori* vallum *Butlera* cibasse
Agmina, at haud credit: non utpote posse putârat
Id fieri. Primus constringitur ergo cathenis
Nuncius æratis, donec certissima ab ipso
Venerat *Ormonio* ductore relatio rerum.
Bingamus hic tantum quia desperavit honorem
Invidiæ fertur stimulis effossus, & ira
Extremum clausisse diem, vitamq; dedisse.
Bingame: quid luctu moreris? si fata morari
Paulisper posses, duri certamina *Martis*

Morea

Morea cum gente tibi miſcere liceret.
Nondum ceſſit hyems, cum dira penuria rurſus
Mariborum affligit, collecto et robore in unum,
Cum *Toholis*, *Brenni*, *Kevani Conorią*, *Morią*,
Innumeriq; alij vallum obſidione rebelles
Oppugnare parant, miſeroq; admittere nullum
Præſidio auxilium minitantur. At inclitus armis
Ormonius, quem nulla unquam fregrere pericla,
Quiq; minis animum didicit demittere nullis,
Mariboro laturus opem, movet ocius arma.
Vt ventum ad *Srobile* præterlabentia caſtrum
Flumina, bis ſenis diſtantia millibus, auſtrum
Verſus, *Mariboro*, mihitanti occurritur hoſti,
Aſperaq; inflatis iunguntur prælia Jituis.
Sed licet alterno cediderunt vulnere multa
Corpora utrinq;: fugam graviori ſtrage rebelles
Accepta capiunt. Reparato at luce ſequenti
Pectore, feiventes *Monro* petiere, paludem
Immenſam quatuor bis millibus arce remotam.
Hic coacervato licet altæ e ceſpite ſepes
Erectæ, & pleno ſpumantes gurgite foſſæ
Hoſtibus auxilio fuerint, multoq; iuventæ
Butlerę damno, magnum tamen accipit hoſtis
Funus, & in cæcas palans compellitur umbras,
Per quas occulto raptim fert tramite ſigna
Sradbaliam verſus, inopino ubi turbine pubem
Ormoniam invadit, pugnamq; impellit in aſpram:
Quam tamen ingenti trepidus mox deſerit ipſe

Cæde

Cæde cruentatus: sed ceu quem sæpius acres
Balantum a stabulis læsum pepulere molossi
Morsibus armatis, tamen haud desistit ovile
Infestare lupus, lethali vulnere donec
Saucius extremos halitus expirat, obitq;:
Sic a *Marsbori* redeuntibus arce maniplis
Ormony, acceptis non docti cladibus, hostes
Arma ad *Sradbaliam* rursus *Rubramq́*, paludem *Mano.
Obvia mouerunt, pugnasq; intrare furentes,
In quibus extremam perpessi pœne ruinam.
Vt primum in *Lesia Tiperarius* omine ductor
Hæc fausto absolvit, flammis ultricibus omnes
Montgarret populatur agros, èq; arcibus eius
Ballinam expugnat, veniamq; precarier ipsum,
Collaq; compellit tandem submittere sceptris.
Bruma bis, & toties posthæc perlabitur æstas,
Fata ubi virtuti Hybernoq; asperrima regno,
Ormonium privâre oculis. Hic mæsta tonantem
Nata petit *virtus*, lachrymisq; ita fatur obortis:
O Pater Omnipotens, cœli iustissime rector,
Terrarumq;, meus sceleris quid tutor & altor
In te commisit *Satrapas Ormonius*, aut quid
Ipsa mali merui? nostras heu amplius artes
Vt solitus noster non exercebit alumnus?
O patet, aut terris ablatum tollere ad astra,
Quo dignus, dignare virum, vel lumina rursus.
Restituantur ei: Solatur *Iupiter* almam
His natam dictis: mea dilectissima proles,

Maximus

Maximus ille Heros. Conſcendet ſydera tandem.
Cœlicolûmq; domos : ſed terris luſtra manebit
Pæne tria, & quanquam dextra exercere labores
Non poterit ſolitos, *Hyberni* erit anchora regni,
Conſilijs fera bella domans, pacemq; gubernans.
Sunt rata dicta *Iovis*: vix ſunt tria luſtra peracta
Cum lux atra nimis, nimiumq; aſperrima *Iernæ*
Eſt exorta, *Heros* qua terris cedere iuſſus
Divorumq; polo fœlices quærere cœtus.

FINIS.

Ep. ded. must follow, see two leaves after

IN OBITVM

Illuſtriſſimi Herois ac Domini, D. THOMÆ BVTLERI, *Ormoniæ & Oſoriæ* Comitis, Viſcomitis de *Thurles*, Baronis de *Arckloe*, Comitatus Palatini *Tiperariæ* Domini, regni *Hyberniæ* Archithesaurarij, *Illuſtriſſimi periſcelidos ordinis*, & Regis in *Hybernia* ſacrioribus à Conſilijs Epicedion DERMITII MEARA.

VIſa diu fœlix : ſic nulla potentia longa:
Heu quam non fœlix reddita ſerme modo?
Fœlix illa nimis, Mavortis *fulmine* Thoma
Ormoniæ Satrapa *dum frueretur, erat.*
Infœlix aſt illa nimis iam, Martius *enſe*
Fatorum poſtquam corruit ille Comes.
Cum Sol ſuppoſita privari lumine luna
Apparet, ſpondet triſtia mille ſolo.
Nunc intemperiem cœli, peſtemq́, famemq́,
Vincula nunc regum, funera, bella, fates.
Exanimis ſi tot brevis obſcuratio ſtellæ
Triſtia portendit ſignificatq́ mala:

Tellus

Tectus ab Hybernis diuinus nube perenni
Hic sol spondet eis qualia, quanta mala?
Cœlis intemperiem si non, pestemq́, famemq́:
At saltem metuant funera, bella. facet.
Ille parens patriæ fuerat, quò sospite, sospes
Patria ab hostili, viq́, dolocq́, foret.
Heu patriam quoties e fati faucibus ipsis
Eripuit? patriam nunc nimis heu miseram.
Nunc nimis heu misera est, tanto priuata parente
Patria, tam valido, tam sapiente, pio.
Pergama *ut Argolicæ spernebant robora pubis,*
Dum fruere illos Hectore *fata fini.*
Ast ubiter circum Troianos Hectora *muros*
Traxit Achilleus *triste cadaver equis:*
Pergameæ *frangi vires capere, retroq,*
Res Troum *lapsæ*; Troiaq; *capta dein.*
Iam pariter senas decies Hybernia *brumas*
Motibus innumeris exagitata licet:
Corruere haud potuit: motus deuicerat omnes:
Floruerat q́, magis, quo est agitata magis
Quippe erat Ormonij *valida protecta* Dinastæ
Et dextra, & ferro, consiliisq́, sacris.
Si quis at armorum iam, bellorumq́, tumultus,
Inter & Hybernos *concitus horror erit,*
Orba quid assueto nimis infaustissima tellus
Auxilio faciet? cuius opemve petet?
Non est cuius opem poscat: non, culmine ab alto
Quin belli flammis, fumeribusq́, ruat.

Non

Non eſt cuius opem poſcat miſerabilis: aſt eſt
Ne belli flammis, funeribuſve ruat.
Illa poteſt, debetq́, malis circundata tantis,
Luctibus indomitis maſta perire ſuis.
Illa lubens pereat, peritura invita, ſacrisq́
Manibus Herois ſe pia liba ferat.
At prius in ſævas effundat iurgia Parcas:
Exagitet diris numina dira polos.
Aut ſi non fas eſt armata lædere lingua
Parcas; *nec diris exagitare polos:*
Hoſpite ſe tanto indignam cognoſcat Ierne,
Et quod ſe dignas quaſyit ille domos.
Dignus in æthereis requieſcere ſedibus ille:
Inter cœleſtes dignus & eſſe choros.
Huc illis inſignis, memori quam ſubtrahet ævo
Nulla dies, pietas, advolitare dedit.
Huc amor in patriam, pro cuius ſæpe ſalute
Mille tulit caſus, advolitare dedit.
Huc ſincera fides, mira & reverentia, ſacros
Qua coluit faſces, advolitare dedit.
Huc illum niveis clementia vexerat alis:
Quaq́, inopes crebro iuverat alma manus.
Fœlix in terris qui ſic traduxerat ævum,
Ut moriens cœlos advolitare queat.
Terra illa infœlix, quam, cuius vita peracta
Defuncto ad ſuperos eſt via, deſeruit.

Aliud Anagrammaticon, & Acroſticon.

Thomas Ormonius.
Os oſtra hominum.

O *Sſe carens animal magis admirabile monſtrũ*
Quã fera, quæ flammas ore inhiante vomi T.
S *cilicet e ſolis corpus capit oſſibus omnem*
Ornatum: informe eſt, quod caret oſſe, mirac H.
O *s Satrapas hominum merito* Tiperarius *ergo*
Dicendus: terris æthere miſſus hom O:
S *anctius homo terris cœlo demiſſus ab alto,*
Qui decus, & fuerat robur Ierne *tuũ* M.

T *urpibus aut aſpris fuerint ſi condita ſaxis*
Tecta, apparerent, quò gratiora, ſu A,
R *egali lapides circumtegit aulicus oſtro:*
Dant quippe eximium manibus oſtra decu S.
A *ulæis quantum decorantur mœnia,* Thomas
Hyberno Ormonius *gloria tanta ſol* O.
H *orror erat belli: pacis protector & altor:*
Spes inopum: veræ nobilitatis hono R.
O *ſtra hominum potuit ſios & pulcherrimus ergo*

Dicier

ILLVSTRISS: HEROI AC DOMINO, D. VVALTERO BVTLERO, *Ormoniæ & Osoriæ* Comiti, Comitatus Palatini *Tiperariæ* Domino, &c.

Veteres Philosophi, Illustrissime Heros, *incredibili quodam iuventutis ad res præclare & strenuè gerendas excitandæ studio incensi, cum non ignorarent virtutem, etsi tantæ in se sit perfectionis, tantæq; pulchritudinis, ut externa nulla ope indigeat, sitq; sui satis sufficiens præmium, nudam tamen non nisi a paucissimis tanta cum alacritate amplecti, quanta si ipse perennis gloriæ, (quàm sola Musarum sacra præbent, vestita appareat. (Omnes enim à natura trahimur & ducimur ad gloriam, neq; quisquam est, qui non insinita quadam laudis cupiditate conflagret) magnanimos*

mos suorum temporum Heroas, qui vel patriam aliquibus liberarunt periculis, vel fade alicuius voluptatis, in plerosq; mortalium communiter regnantis, blandis illecebris irretiri nequierunt, ita suis scriptis, doctissimisq; monumentis nobilitarunt, ut eos non humano aut mortali, sed potius divino semine satos vulgo persuaserint. Pia hac & admiranda sapientum virorum industria effectum est, ut illis saeculis vix ullum vel mediocri indole praeditum reperias, qui non tanti honoris emulus, se pro patriae gloria & salute, omni labori, omni periculo, omni mortis & calamitatis generi lubens devoveret: quod certe haudquaquam fecissent (aut multum ego fallor) nisi inde, doctorum hominum beneficio immortalitatem quandam se consecuturos, certa illos fiducia tenuisset. Haec ego Illustrissime Heros, quoties seria mecum mente perpendo, non possum non multum admirari, quid nostrorum temporum literatos in suorum Heroum laudibus decantandis usq; adeo segnes facit: certissimum etenim est, huic nostro aevo aliquot, etsi non tot, quot priscis temporibus (cuius etiam culpam in Musarum alumnos partim referendam indico) clarissimos suppetere viros, qui insignissimis suis virtutibus se antiquorum dignitati adaequarunt, quorumq; praeclara facinora si magnifico Pieridum ostro circumtexerentur, alios quamplurimos, ea legendo in ineffabilem quandam virtutis admirationem raperent. Horum in numero cum primum mea opinione, locum, vel saltem a primo

non

non longe ſemotum vendicare, dignus fuerit illuſtriſſimus ille tuus patruus Ormoniæ & Oſoriæ Comes, qui grauiſſimo totius noſtræ Reip. damno, paucis iam menſibus elapſis, vitam cum morte commutauit, illius ego, (ne culpe, quam in alijs reprehendo arrogi ipſe poſſem,) præcipuos labores pro patriæ tutela ſuſceptos, in vnum collegi faſciculum & ſeræ poſteritati heroico carmine legendos tradidi. Opuſculum autem hoc maximo meo labore & moleſtia, ſed longe maiori cum feruore & alacritate confectum priuſquam in publicam lucem emittere auſus ſim, illi ipſi inuictiſſimo noſtro Achilli conſecratum eſſe volui, (ut ex alio hoc ſequenti epiſtolio Amplitudo tua colligere poteſt) ſic quippe me venenata Liuoris ſpicula facilime euitaturum ſperaui: ſed ut ſunt res humanæ ſemper fragiles minimumq́, incertæ, cum adhuc in Typographi manibus meæ chartulæ exiſterent, nec dum penitus eſſent a prelo ſublatæ, ter maximus ille Heros vitalis auræ uſura priuatur. Hic ego non parum poſthumo meo partui metuiſſem, niſi pro certo habuiſſem, Amplitudinem tuam, eius tutelam non grauate ſuſcepturum: idq́, eo facilius mihi perſuaſi, tum quod patrocinium illud tuæ ipſius, poſterorumq́, gloriæ & perennitati inſerviet, tum quod multorum, qui in hoc opuſculo recenſentur, laborum, non ſolum oculatus ſis ipſe teſtis, immo etiam & particeps fueris. Suſcipe igitur, Illuſtriſſime Heros, Orphanum hunc (ſic enim tanto Patrono priuatum appellare licet) in clariſſimæ Amplitudinis tuæ clien-

clientelam, eumq́, à rabidis invidorum morsibus defende: quod si facere non dedignaberis, ut ego me neq́, oleum, neq́, operam perdidisse existimabo, ita & tua Amplitudo tum tuæ Illustrissimæ stirpis æternitati, tum communi Reip. bono non parum consulet. Interea ut boni omnis & sapientiæ fons ille fœcundissimus Christus Deus tuo semper honori & felicitati consulat, propitiam ipsius omnipotentiam quam supplicitèr precor.

Tuæ Amplitudinis

obsèrvantissimus,

DER. MEARA.

Cronologicum.

Dicier, & ſummum lumen Ierne *tuu* **M.**
M ors at Ierne *tuum tibi florem, lumen, & oſtrũ*
Eripuit, magno vulnere ſæva tu **O.**
I lle licet terris deceſſit mortuus, alta
Inter cœlicolas vivit in arce tame **N:**
N ulla illi attulerat hoc ergo incommoda lethum:
Damna ſed attulerat plurima Ierne *tib* **I.**
V ivit ſydereo circundatus ille ſenatu:
Quam vixit, vivit iam meliore ſtat **V.**
M ors ille fœlix, infœlix eius Iernæ:
Ille polos petyt: perdidit illa decu **S.**

Aliud Cronologicum.

PHœbus *ubi a prima complevit origine mundi*
Mille, & ſexcentos annos, quatuorq́, novemq́,
Iamq́, diurna dies illum Iovis *aula teneret*
Cum quinis, ſenos, Hybernis *atra, nefanda*
Lux oritur, regni qua flos, ſpes, gloria, Thomas
Ormoniæ *moritur Satrapas, & deſerit orbem.*

FINIS.

1213. g. 14.

IOHN MORRIS.

ORMONIVS:

Siue,

ILLVSTRISSIMI HEROIS AC DOMINI, D. THOMÆ BVTLERI, *Ormoniæ & Osoriæ* Comitis, Viscomitis de *Thurles*, Baronis de *Arckelo*, Comitatus Palatini *Tiperariæ* Domini, regni *Hyberniæ* Archithesaurarij, *Illustrissimi periscelidos ordinis Equitis, & regiæ* Maiestati in *Hybernia* sacrioribus à Consilijs prosapia, laborumq; præcipuorum ab eodem *pro Patria & Principe susceptorum* commemoratio Heroico carmine conscripta.

A

DERMITIO MEARA Ormonienſi Hyberno, *& Insignissimæ* Oxonienſis *Academiæ quondam alumno.*

LONDINI:
Excudebat THOMAS SNODHAMVS.
1615.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ILLVSTRISS:
HEROI AC DOMINO, D. VVALTERO BVTLERO,

Ormoniæ & Oſoriæ Comiti, Comitatus Palatini *Tiperariæ* Domino, &c.

Eteres Philoſophi, Illuſtriſſime Heros, *incredibili quodam iuventutis ad res præclarè & ſtrenuè gerendas excitandæ ſtudio incenſi, cum non ignorarent virtutem, etſi tantæ in ſe ſit perfectionis, tantæq; pulchritudinis, ut externa nulla ope indigeat, ſitq; ſui ſatis ſufficiens præmium, nudam tamen, non niſi à pauciſſimis tanta cum alacritate amplecti, quanta ſi ſpe perennis gloriæ, (quàm ſola Muſarum ſacra præbent, veſtita appareat. (Omnes enim à natura trahimur & ducimur ad gloriam, neq; quiſquam eſt, qui non infinita quadam laudis cupiditate conflagrat) magnanimos*

mos suorum temporum Heroas, qui vel patriam aliquibus liberarunt periculis, vel fœdæ alicuius voluptatis, in pleroſq; mortalium communiter regnantis, blandis illecebris irretiri nequierunt, ita suis scriptis, doctissimisq; monumentis nobilitarunt, ut eos non humano aut mortali, sed potius divino semine satos vulgo persuaserint. Pia hac & admiranda sapientum virorum industria effectum est, ut illis sæculis vix ullum vel mediocri indole præditum reperias, qui non tanti honoris æmulus, se pro patriæ gloria & salute, omni labori, omni periculo, omni mortis & calamitatis generi lubens devoveret: quod certe haudquaquam fecissent (aut multum ego fallor) nisi inde, doctorum hominum beneficio immortalis tatem quandam se consecuturos, certa illos fiducia tenuisset. Hæc ego Illustrissime Heros, quoties seria mecum mente perpendo, non possum non multum admirari, quid nostrorum temporum literatos in suorum Heroum laudibus decantandis usq; adeo segnes facit: certissimum etenim est, huic nostro ævo aliquot, etsi non tot, quot priscis temporibus (cuius etiam culpam in Musarum alumnos partim referendam indico) clarissimos suppetere viros, qui insignissimis suis virtutibus se antiquorum dignitati adæquarunt, quorumq; præclara facinora si magnifico Pieridum ostro circumtegerentur, alios quamplurimos, ea legendo in ineffabilem quandam virtutis admirationem raperent. Horum in numero cum primum mea opinione, locum, vel saltem a primo

non

non longe ſemotum vendicare, dignus fuerit illuſtriſſimus ille tuus patruus Ormoniæ & Oſoriæ Comes, qui graviſſimo totius noſtræ Reip. damno, paucis iam menſibus elapſis, vitam cum morte commutavit, illius ego, (ne culpæ, quam in alijs reprehendo arguí ipſe poſſem,) præcipuos labores pro patriæ tutela ſuſceptos, in vnum collegi faſciculum & ſeræ poſteritati heroico carmine legendos tradidi. Opuſculum autem hoc maximo meo labore & moleſtia, ſed longe maiori cum fervore & alacritate confectum, priuſquam in publicam lucem emittere auſus fui, illi ipſi inuictiſſimo noſtro Achilli conſecratum eſſe volui, (ut ex alio hoc ſequenti epiſtolio Amplitudo tua colligere poteſt) ſic quippe me venenata Liuoris ſpicula facillime euitaturum ſperaui: ſed ut ſunt res humanæ ſemper fragiles nimiumq́ incertæ, cum adhuc in Typographi manibus meæ chartulæ exiſterent, nec dum penitus eſſent a prelo ſublatæ, ter maximus ille Heros vitalis auræ uſura priuatur. Hic ego non parum poſthumo meo partui metuiſſem, niſi pro certo habuiſſem, Amplitudinem tuam, eius tutelam non gravate ſuſcepturum: idq́ eo facilius mihi perſuaſi, tum quod patrocinium illud tuæ ipſius, poſterorumq́ gloriæ & perennitati inſerviet, tum quod multorum, qui in hoc opuſculo recenſentur, laborum, non ſolum oculatus ſis ipſe teſtis, immo etiam & particeps fueris. Suſcipe igitur, Illuſtriſſime Heros, Orphanum hunc (ſic enim tanto Patrono priuatum appellare licet) in clariſſimæ Amplitudinis tuæ

clien-

clientelam, eumq́, à rabidis invidorum morsibus de-
fende: quod si facere non dedignaberis, ut ego me neq́
oleum, neq́, operam perdidisse existimabo, ita & tu
Amplitudo tum tuæ Illustrissimæ stirpis æternitati, tum
communi Reip. bono non parum consulet. Interea u
boni omnis & sapientiæ fons ille fœcundissimus Christu
Deus tuo semper honori & felicitati consulat, propi
tiam ipsius omnipotentiam quam suppliciter precor.

Tuæ Amplitudinis

observantissimus,

DER. MEARA.

ILLVSTRISSIMO HEROI AC DOMINO, D. THOMÆ BVTLERO, *Ormoniæ & Osoriæ* Comiti, Viscomiti de *Thurles*, Baroni de *Arcklo*, regni *Hyberniæ* Archithesaurario, Comitatus Tiperariæ Palatini Domino, Insignissimi perisceli dos ordinis *Equiti*, *& Regiæ Maiestati in* Hibernia sacrioribus a Consilijs.

ANni sunt iam quatuor, aut circiter, elapsi, *Illustrissime Heros*, ex quo, tacitus ego mecum, varios illos immanesq; casus, quibus *Tua Amplitudo* quinquaginta fere annorum spatio iactata est, in cohibendis, extinguendisq; rebellionibus omnibus Anglica in Sceptra, durante eo tempore excitatis, cum *Achillis*, *Hectoris*, *Scipionis*, aliorumq;

nonnullorum priscorum Heroum (quorum fama super æthera ascendit) laboribus comparans, tuosq; illis haudquaquam inferiores iudicans, non mediocrem me nostræ Reip. utilitatem allaturum rebar, si præcipua eorũ, quæ pro Patria & Principe fortiter pugnando, inuicto semper animo, inconcussaq; fide perpessus es, sacris Musarum pigmentis conspergerem, ut non solum in huius æui publico conspectu illorum fulgor appareret; sed & omni etiam posteritati conspicienda paterent: ad militaris etenim gloriæ stimulos in heroicæ iuventutis animis excitandos, nihil tantum valet, quantum crebra & seria historiarum euolutio, illarumq; præcipue quæ clarissimorum Heroum immensos labores in tutanda patria fortiter exhaustos, & quam-multa vitæ pericula pro publica salute, insegniter inita, commemorant. Quamvis igitur arduum nimis, & meis viribus impar onus illud omnino metuerim, malui tamen quicquid ea in re præstitissem, *Momi* censuram, quantumvis grauem perpeti, quam tam opulento *Mauortiæ* virtutis gazophilacio nostram Rempublicam carere: Cumq; decus omne meum, meorumq;, quantulum cumq; sit, ab *Amplitudinis tuæ*, illustriumq; tuorum Maiorum benignitate acceptum, obliuisci nequirem, meum esse duxi, præclaras illas tuas laudes, quas admiranda virtute comparasti, æternæ consecrare memoriæ: nam licet ipsæ per se, omni externa ope denudatæ, per-

ennitatem sibi polliceri videantur; ego tamen cum *Horatio* audaciter dicere non vereor:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachymabiles
Urgentur, ignoti longa
Nocte, carent qua vate sacro.

Rem ergo, etsi difficilem, aggressus sum, tandemq; vtcumq;, absolui. Qui, qualesque, in patriam & Sceptra rebellantes, indefessis tuis laboribus suppressi, heroico carmine conscripsi, tuamq; prosapiam a primi, tua de stirpe, qui in Hyberniam est appulsus, auo ad temet, recta semper linea descendens, inserui: necnon maiorum tuorum honores & dignitates, resq; ab illis præclare gestas, (quantum eas ex regni annalibus colligere potui) breviter recensui. Omnia autem hactenus priuatim, & quasi in tenebris acta, nunc cum in lucem proditura sint, (typis.n.mandare decreui) vnicum adhuc restat, nimirum ut quo opus hoc *Liuoris* calumnias *Aristarchorumq;*, sannas & obelos effugiat, illius patrocinium tuæ Amplitudini committam: facile etenim mihi persuadeo, quod quemadmodum in ijs, quæ hoc opusculo commemorantur, peragendis, nulla te unquam hostis facies, nulla pericula ab incæpto deterrere potuerint, ita & scripta nostra qualiacumq;, sub tui fauoris umbra, & alis delitescentia, ab *Archylochorum* scommatis & ludi-

brijs tuta sint futura. Illa igitur, quà decet animi reuerentia & submissione, *Honori Tuo* patrocinanda offero, teq; simul exoro, ut patrocinium hoc in te suscipere non dedigneris, si non tui nominis & gloriæ, at Patriæ utilitatis ergo; cui ut te *Christus Optimus Maximus* quam diutissime incolumem seruet, & post huius vitæ cursum ad gaudia ducat æterna, diuinam Maiestatem quam suppliciter posco.

Tuæ Amplitudinis obseruantissimus

DERMITIVS MEARA.

Ad Lectorem.

Candide Lector, quum historia veritatis sit testis, in qua nihil ficti, nihil fuci, nihil quod à vero, ne quidem in minimo, dissidet, contineri debet; miraberis fortasse, quid me huic meæ historiæ figmenta aliquot poetica inseruisse impulerit. Mirari autem desines, tum si *Horatianum* illud memineris:

Et prodesse volunt & delectare Poetæ,

um si scopum, quem ego, hoc opusculum contexturus, mihi proposui, penitus perspexeris: scopus enim ille duplex; primus *Ormonij* Comitis, (cui me meosq; omnes omnimode devinctos fateri oportet) famam omni posteritati gloriosam exhibere: alter iuuentutis animos ad res strenue & fortiter pro Patria & Principe gerendas excitare: primo historiæ ipsius narratio inseruit, secundo figmenta; eorum etenim omnium summa est, Reges, Deos esse terrenos, quibus ex diuino præcepto omnis obedientia debetur, ac proinde quicquid à Subditis pro Regia Maiestate præclare fit, haudquaquam id absq; cœlesti instinctu fieri existimandum: e contra vero qui nouarum rerum studiosi, seditiones & tumultus in Patriam, & Principem, excitant, eos Stygijs exagitari furijs minime dubitandum esse.

Quum igitur eiusmodi figmenta historiæ veritati nihil subtrahant, eumq;, quem iam recensui, usum præbeant, spero te humanissime Lector, nostros conatus æqui, bonique consulturum. *Vale.*

Tuus D, M.

Libri primi Argumentum.

ANno primo Mariæ, Wiettus, *Cantius Eques, rebellat; qua de re cum apud* Iouem Parcæ *conquererentur, aientes adamantina tabularia, quæ rerum omnium fata continent, polliceri,* Mariam *quinquennio regnaturam, eiusq; Sororẽ* Elyzabetam *quadraginta quinq; per annos ferè, ac tandem* potentissimum Regem IACOBVM *summa rerũ moderamina accepturum, eiusq; posteros perpetuo potituros imperio:* Iupiter *fata immota esse respondet, &* Wiettum *dignas audacia pœnas daturum pollicetur. Eius præterea iussu* Mercurius Anglas *in terras descendit, &* Ormoniæ Comiti, *Londini tunc residenti, progq; Regia Maiestate iamdiu pugnare exardenti, quamplures addit stimulos, præcipue maiores eius omnes in cœlo, inter lucentia Sydera ostendit, singulorumq; res præclarè, pro patria & fascibus gestas, recenset. Copias* Regina *colligit, quibus* Norfolciæ *Ducem &* Ormoniæ *Comitem imperatores præficit. Imperatores in Campo* Diui Iacobi *prope Londini mœnia, occidentem versus, hosti occurrunt, dumq; ibi* Ormonius Heros *milites in aciem componit, & nonnulla admirandæ virtutis, futurorumq; honorum manifesta signa præbet,*

duo

Argumenta.

duo quidam non obſcuro loco nati, ſed inuidia commoti, regia ex acie in vrbem regrediuntur, coramq; Regina Ormonium *calumniantur. Interim pugna committitur, in qua* Wiettus *funditur & capitur, & vnde* Hybernus *ſatrapas immortali cum laude & gloria* Reginam *petit.*

Libri ſecundi Argumentum.

Anno tertio Mariæ, Donaldus ô Bryen, Donati *aliàs* Donochi, *ſecundi* Thomoniæ *in* Hybernia *Comitis frater, cum iam quinquennio, poſt obitum prædicti Comitis,* Thomoniam *omnem occupaſſet, inde* Cornelio Bryen, *(qui quidem Comitis erat filius, & ab* Henrico *octauo* Baro *de* Ibercan, *necnon* Thomoniæ *heres creatus) expulſo, vnicum caſtrum* (Dun-Imulnihil *vocant) quod eidem* Cornelio *a patria exulanti, quibuſdam valide defenſabatur, longa obſidione premit. Obſeſſis* Ormonius *auxilio accurrit, hoſtemq; ab obſidio pellit. Paulo poſt* Thomam, *D.* Fitz-Walters, Reginæ *tunc in* Hybernia *Deputatum, in* Thomoniam Ormonius *accomitatur, vbi ambo præfatũ* Cornelium Thomoniæ Comitem *confirmarunt. Anno ultimo* Mariæ, Ormonius, *aliiq; Proceres* Proregem *D.* Thomam Suſſexiæ Comitem, *in Vltoniam accomitantur ad ſubiugandum* Iohannem Onellum *rebellantem.*

Cum autem Prorex aliiq; Nobiles caſtra metarentur apud Campanæ *villam,* (Hybernice baille in chluig)

locum

Argumenta.

locum circa nouem milliaria distantem Eoum versus Dungennain *prima & præcipua* Tironiæ *sede*, Ormonius Concainam *vallem ac* Thuomæ *castrũ, arcẽ quã munitissimam, inter* Bannæ *fluminis caput, & Lacum* Echach *sitam petit: (ibi n.* Onellus *morabatur) inde ingenti cum præda, necnon hoste ter vna die fuso, regia ad castra regreditur. Intra autem biduum post, hostes iterum petit, loca omnia, per quæ carpit iter, incendio depopulans, sed cum hostem in pugnam allicere nequiret, Prorege repetit, totusq; regius exercitus dimittitur. Anno autem sequenti, qui fuit primus* Elizabetæ, Onellus *in* Scotcas *insulas, quas Hebridas vocant, nauigat, vnde cum tribus* Donaldiadis, Iacobo Donaldi, Somurl*flavo* Donaldi, *&* Alexandro Donaldi *comitatus, Hyberniam breui post appellitur, bellumq; denuo renouat. Illum vero* Ormonius Concaina *in* valle, *medijs in fauces fundit, immensaq; strage afficit.*

Libri tertij Argumentum.

Anno Elizabethæ *secundo*, Donaldiadæ, Hebrid*satrapæ ingenti cum classe Hyberniam petunt, multisq; incommodis regiæ iterum Maiestatis subditos affi*unt, *quos ad domandos Prorex* Sussexiæ *Comes, &* Thomas Ormoniæ *Comes, aliiq; multi præterea Nobiles* Vltoniam *signa mouent, cum autem reliquus omnis exercitus vna cum* Prorege *Carigfergum peterent*, Ormo

us *in Glinarmum siue armorum vallem, horrendas astasq́, syluas, in quibus hostis moratur, aquilas ducit, vnde, fuso, deuictoq́, hoste, & opima oneratus præda, ad* Pro-egem *reuertitur. Breui post* Ormonius *in* Ricneam *insulã, quæ* Hebridas *ad occasum terminat, & cuius Scep-ra* Somurlus flavus Donaldi *tenet, vela dat. Quam-rimum vero illuc appulsus, incolæ omnes ingentem in rupẽ intrinsecus horrendo & inexpugnabili antro effossam, quæ Dirgi cauerna vocatur, fugiunt, vnde cum* Ormonius *illos in pugnam illectare non posset, quanquam id diu & frustra laborauerit, in Hyberniam multis cum spolijs retro vela dedit.*

Libri quarti Argumentum.

ORmonius è Ricnea Insula *reuersus, Desmoniæ Comitem* Butleros *agros misere deuastantẽ reperit, sibi etenim Desmonius vendicat Baroniam de Kilseghlan, Clonmeliæ reditus, & alia nonnulla, quæ* Ormonij *pater* Iacobus Butlerus *in coniugis suæ* Iohannæ Iacobi, *Desmoniæ quondam Comitis filiæ, dotem accepit. Vinorum etiam vectigalia, (vulgo pricevine)* Ormoniæ *Comitibus ex veteri multorum regum dono, debita Desmonius per Momoniam, tum Occiduam, tum Australẽ, sibi colligit, ac detinet. Illum* Ormonius *ad singulare certamen provocat, quod cum ille non auderet, collatis signis prælia miscere inter utrumq́, conuenit. Sed quamvis ambo Martis ad arenam convenerint, absq́, tamen ulla sanguinis effusione*

lis

lis erat decisa: quippe Desmonius a regio senatu compel-
tur, omni suo titulo & clameo in illis, de quibus certab-
tur, renũciare. Anno sequenti Desmonius Deciam *rebe-*
libus armis invadit, depredatur q̃. Illũ Ormonius *apu-*
Aghmaynam in pugnam compellit: ibi quadringenti G-
raldiadũm *interempti, ipseq̃ illorum ductor, Desmoniu-*
graviter saucius capitur, & ab Ormonio *in Angliam*
captiuus mittitur. Anno Eliz. 6. Iacobus Mauritij, *De-*
monij Comitis compatruelis bellum grave in Momoni
excitat, quẽ Ormonius *heros quatuor continuis annis n-*
ctes atq̃ dies, absq̃ ulla fere intermissione, a monte in mo-
tem, & a sylua in sylvam persequitur: ac tandem Dun-
logho, *munitissima Solani magni arce, & communi r-*
bellantium asylo, expugnato & diruto, hostẽ toto a fuge-
regno cogit. Vix autem illo discesso, cum in Thomoni
Cornelius ô Bryen, Thomoniæ Comes *graves ci-*
motus, illum Ormonius *in Galliam fugat. Paucis post a-*
nis Mauritiades *apud Smerwickam in Hybernia cũ It-*
la classe appellitur: unde interiora regni petens, intra pa-
cos dies post eius appulsum interficitur apud Kelkugian
sylvam *a* Theobaldo Burckæo *de* Castle-conel. *Eius*
tamen aduentu Iohannem Geraldi, *Desmonij Comiti*
fratrem ad rebellandum & ad Dauillum, *magnæ in* Mo-
monia *authoritatis Anglum interficiendum illexit.* Mal-
bius Connaciæ *rector Dauilli cædem in Desmonij agro*
ulciscitur. Desmonius rebellat. Illum Ormonius *perse-*
quitur, intraq̃ quadriennium bello prorsus extincto, ca-
put eius in Angliam mittit, anno Eliz. 23.

Libri

Libri quinti Argumentum.

Nov El. 26. Somurlus Flavus Donaldi *ingentes mouet tumultus in* Vltonia, *quos mira celeritate* hannes Perottus *Prorex*, & Thomas Ormoniæ mes, *expugnata munitissima arce* Dunlius, *sedarunt.* rmonius *in Angliam nauigat*, & *illustrissimo* periscelidine *insignitur. Interim* Maguir *in* Vltonia *rebel-* & *paulo post* Tironiæ Comes; *hoc bello cũ regni statu maximas in angustias perductus esset*, Regina *omnem gerendæ curã & molem* Ormonio Comiti *imponit*, Dom. 1597. *Ille circa ultimã Æstatem* Bernardum scum, *præcipuum eo tempore Laginiæ rebellem interi-* *Autumno incipiente*, Mariboræ *arcis custodibus* xilio *accurrit*, Morosq; *omnes, cum multis aliis rebelus obvios prælio habet apud* Aghduffe, *tum in prosu, tum in regressu, ingentiq; clade afficit. Hinc actu* Vltoniæ *fines*, Ferneiam *invadit depopulaturq;: un*innumeris pæne *hostibus* Killociam, *oppidum in* Monia *iam obsessuris*, & Malam, Norisij, Momoniæ *sidijs domum, ubi ipse præses tunc morabatur, inua*is *improvisus adest*, & *ab incepto deterret. Circa Iaarij sequentis, initium, cum* Bingamus, *Connaciæ re*r, *quindecim peditum vexillis*, & *sex equitum turmis* patus, Mariboræ *arcis custodibus, fame pereuntibus* xilio *accurrere non auderet*, Ormonius *septem duxat peditum maniplis*, & *centum accomitatus equis*

itur

iter illud intrepidus arripit, & tum in progressu ap
Leim-in-eigh, *tum in regressu apud* Sradbaliam, *&*
cænosissima, vastissimaq; palude, non ultra tria aut qu
tuor milliaria a Caterlogh, *arctum versus, semor*
omnes Laginiæ *rebelles convenit, illorumq; maximã e*
stragem. Sole post Arietem ingrediente Mariboræ
cem petens, cum Moris, Brennis, Keuanis, Conor
innumerisq; aliis rebellibus, semel apud Sradbaliam,
bis apud Monro *paludem in arenam descendit, illorum*
horrenda funera facit. Circa extrema eiusdem men
Ballinam, *vnum e Montgarret castris expugnat, ipsum*
positis armis, pacis iugum subire cogit. Cum per tres c
tinuos sequentes annos, nullis neq; cœli, neq; Soli fati
tus incommodis, hostem omnem usq; & ubiq; persequet
tur, fata nimis aspera regno, virtutiq; invida, illum
minibus orbant: exhinc solitos labores exercere nequ
regni tamen anchora semper persistit, plusq; domi consil
quam aliy foris armis Rꝯp. adiuvat.

ORM

ORMONIS

Liber primus.

Vos casus, quæ fata tulit, quibus artibus altum,
Conspicuumq; decus, nullis delebile monstris
Inuidiæ, & nullo annorum molimine *Thomas*,
Ormonie nactus Satrapas, *Mauortius* Heros,
Vnigena Aonijs Dea quem nutriuit in antris,
Dicere fert animus: quantis heu viribus vsus?
Heu quam grande onus, & vix sustentabile nostra
Mens incircumspecta subit? quot saxa, quot undæ,
Immanes Scillæ, collatranteſq; Charybdes
Inuictum iactâre virum? quis talia fando
Sufficiat vates? Lux ô clarissima mundi,
Summe Theos, cæptis tua non finita potestas
Adsit, & ipse mei fœlix sis carminis Author.
Prima *Caledonys* fuerant exercita campis
Arma viri, decies cum vix expleuerat annos

Ætatis

Stemmate ab *Augusto* diuertere Sceptra parante

Quærere tuta sibi iubet, & vitare pericla,
Vt possint. Duce vox ô indignissima tanto:
Quot desperantes animos? imbellia corda
Quot peperit vox hæc? viduata rebellibus heu
Castra relicta metu? multos contraria solo (quot
Arma timore refert fama accepisse. Sed illud
Quo sic cunq; modo, subitis *Memoria* bellis
Tota fere ardet, inexcita atq; immobilis ante.
Inter præcipuos novus hic quos ceperat ignis
Desmoniæ e comitum descendit stirpe *Iacobus*,
Qui *Londinensi* vitam post exuit arce.
Hunc omnes adeunt alij, Comitemq; salutant
Desmoniæ, & capiunt sibi rectoremq;, ducemq;.
Extemplo populantur agri, pecudesq; domusq;,
Cunctorũ, qui sceptra colunt, pacemve tuentur.
Horrendæ passim strages, incendia passim,
Armorumq; horror, matronarumq; querelæ.
Tantorum simulac monstrorũ fama Dynastam
Venit ad *Ormonium*, spumanti fluctuat ira,
Auctoresq; petit rapido per proxima cursu.
Bis sex *Limbrico* removetur millia in austrum
Circum vallatus muris, multaq; celebris
Libertate locus, *Killmallock* nomine: fertur
Huc ille imprimis: minitantur mœnia namq;
Expugnare hostes, & iam tentare parati.
Luce sed Octobris decima (memorarier illa
O quam digna dies) *Mavortia* signa videntes
Butleri Comitis, subitaneus arripit horror:
Nec

Nec tantum cæptis desistunt, immo volantes
Abstrusas subeunt sylvas, & devia lustra:
Ormony haudquaquam vicina ferre potentes.
Ille illos (postquam valido firmata reliquit
Mœnia præsidio, longoq; hortamine ciues)
Luce dehinc quinta sequitur, *Mallamq́*, laresq;
Ipsius admoto *Norrisi* præsidio igne
Iamiam absumpturis, tristi occurrisset arena,
Ni mutavissent animos, saltusq; nigrantes
Consternati, illo raptim veniente, petissent.
Hoc ille occursu frustratus in oppida, & urbes
Momoniæ cunctas armorum robora mittit:
Nec misisse satis, *Corcagia* visitat ipse}
Mœnia, *Togheliamq́* & multis roborat armis,
Consiliisq; : illinc *Desiæ* per culmina postquam
Ad *Suriæ* venit ripas, vexilla movere
Rursus in occasum placuit : duo millia distat
A *Suria*, occiduũ qua proxima vergit ad æquor, *Flumin
Killfiakel, quò cum delatus, pellica figi *Castru
Tecta iubet, veluti tota requiescere nocte
Hic decreviisset. Cœli sed culmine ab imo
Cum Sol ad superos cæpit convertere currus,
Linquuntur pelles; & quinis millibus illinc
Mororum distans ductor, milesq; petuntur.
Ast illi adventum *Comitis* didicere, citiq;
Arripuere fugam, *Lesiæq́* trementia in agros
Signa movent. *Comiti*, fugientia terga sequenti,
Tristis, at heu certus, rumor canit, esse rebelles.

Viscomitem de *Montgarret*, *Caheregi*, *Baronem*.
Concussere virum subitanea nuncia: sed ceu
Incauta colubrum procultans calce viator,
Crura repente refert trepidus, corpusq; retrorsum
Dat consternatus: sed cærula colla tumentem,
Tollentemq; iubas densis a vepribus anguem
Cum videt, audaci minitantem pectore belluam
Aggreditur, strictoq; offert mucrone ferire.
Sic primum rumore novo stupefactus, & anceps
Ormonius fuerat: nam cui iam fidere tutum,
Et tantos de stirpe sua heroasq;, viroſq;
Signa inimica dolet, contrariaq; arma movere.
Ast movisse videns, se digna percitus ira,
Induit ultrices animos, & utrumq; vicissim,
Et simul invadit, flammis, ferroq; lacessens.
Hui quibus, & quantis iactatus casibus ipse
Insectando ambos? quoties stillante sub æthra
Terrificisq; polo crepitante tonitribus egit
Insomnis gelido longas in cespite noctes?
Coniugis amplexum media de nocte, torumq;
Deseruit quoties? & per vada cæca, per atras,
Et cæno horrentes fauces, scopulisq; scatentes,
Per nivibus cooperta iuga, immanesq; paludes
Moverat arma, ambos vigilante indagine quærēs!
Ast dum vicinos hac sædulitate rebelles
Persequitur, labor ecce ingens, onus occipit illi
Ætneum in *Lesia*: armamentorumq;, cibiq;
Copia *Maribore* deerat custodibus arcis,
Obsessisq;

Obsessisq; vijs numeroso milite & armis,
Nullum illinc aditum statuunt permittere *Mori*.
Hic ingens, immo metus haud effabilis ulli,
Occupat inclusos vallo; sperare nec audent
Quicquam aliud, præter famis exitialia fata.
Nec minor interea confundit cura senatum,
Quo pacto afflictis possent succurrere, quemve
Tanto animo sperent, tanto ut discrimine rerum
Audeat auxilio miserè pereuntibus ire.
Comacie quondam præses, vir strenuus armis
Bingamus, ante alios aptus qui tanta subiret
Pondera censetur. Duo millia protinus ergo
Quingentis demptis, peditum, turmæq; leguntur
Bis tres alipedum, tanta stipante cohorte
Ille ad *Maribori* spondet procedere vallum.
Venit ut ad *Naciam* (bis millia sena remotus
Hic locus *Eublana*) numeri iam certior hostis,
Susceptiq; oneris propius discrimina cernens:
Sistit ibi, non ultra ausus vexilla movere.
Ante satis dubij, desperanteq; steterunt
Præfectus, reliquiq;, arcis queis cura tuendæ.
Nunc illis quē rere animum? quæ pectora censes?
Ex quo *Chyronis Titan* decesserat astro,
Mactatis vescuntur equis, miserabile dictu,
Absumptis queiscunq; alijs: nuncq; insidet *Hirci*
Phœbus in extremis properans *Ganymedis* ad urnā.
Audierat Satrapas hæc, auditisq; repente
Ormonius molitur opem, septemq; maniplis

Duntaxat, centumq; feras qui calcibus urgent,
Kilkenia comitatus abit, *Lesiæq;* citatus
Regia valla petit: locus illinc millia quinq;
Distat in Occiduum, nomen *Belronia:* quem cum
A tergo liquere aquilæ, faucemq; remotam
Mille illinc passus intrâre, rebellibus unà
Laginiæ cunctis fermè occurrentibus, atrox
Pugna oritur. Subito concurrunt turbine primi
Cornus, effusisq; ruunt in prælia frænis.
Persimili terras collidunt turbine venti
Carceribus motis; pariliq; ardore feruntur
In prædam rabidi ieiuno ventre leones.
Multa alternatis infligunt vulnera utrinq;
Ictibus: insano multi vel pectora ferro
Fossi, aut ignito terebratis ære medullis,
Extremam exhalant animâ, & pallentibus umbris
Procedunt comites: ast unam fervidus horam
Vix hic continuat turbo, cum terga rebelles
Dant, infœlicem Martem, clademq; suorum
Diram advertentes. Tumido sic spumeus æstu
Fluctus ab *Oceano* in terras defertur: at alto
Illisus scopulo, dispersis imbribus, æquor
Mox petit. Audaci palantes sistere voce
Nititur *Antonij* frater, spes altera gentis
Morea Ludovicus: agit quis degener horror
Heu animos? heu state viri, quò signa refertis?
Hæc aut nulla dies; hic hic, aut non locus ullus,
Æternos *Mori* *Lesiæ* lucrabitur agros.

Talia

lia dicentis, circumq; immania fruſtrà
la coruſcantis, lethale per ilia plumbum
anſigitur, fuſoq; rapit cum ſanguine vitam.
nc reliquis vis nulla: omnes ſe credere plantis,
verſumq; furor pavitans quâ quẽq; trahebat,
bore in immenſa tremebundi quærere tegmen.
uos per inacceſſas ardens ſectarier umbras
grabat *Butlera* cohors: aſt optimus armis
ſtitit *Ormonius*: iam namq; in cærula pronus
at, & alipedes ignito ſolvere curru
festinabat. Vanum ergo quærere ſylvis
lantes: properatq; heros ſolarier arcis
ſtodes: vitare ergo cunctantia quæq;
andat. Paretur. Petitur per proxima vallum
aribori: multa quò ventum nocte per umbram.
æſidio nox grata illa: haud illuxerat unquam
tior ulla dies: ipſis e faucibus illos
ipuit fati, miſeraq; a morte redemit.
Poſterus *Eois* ſimulac *Phœbeius* undis
ierat fulgor, lumenq; fugarat *Olympo*
octurnum: latebris, queis pernoctare, rebelles
rumpunt, celereſq; locum glomerantur in unũ.
miſſos hic quiſq; ſuos plorare: peremptum
ic ſocium: ille patrem, natum mæſtiſſimus alter,
ermanumq;: omnes dolor ingens, curaq; vexat
nxia, & ultores illa ipſa luce futuros
antæ promittunt cladis, ſtygiove ſub amne
lanibus exanimos manes occurrere amicis.

Hæc

Hæc conſpirentes, vultuq; & voce minantes,
Sradbaliam accurrunt (exploratoribus hac qu
Ormonius carpturus iter) didicere; tumentem
Fluctibus hic fluvium parvus pons obtegit; i
Roboream evertunt molem: ſtagnantis & un
Vlteriore ora conſiſtunt, ſeq; futuræ
Accingunt pugnæ. Vaſto quin funere ſternan
Butleri ductoris equos, equiteſq;, profunda
Flumina tranantes, dubitatio nulla tenebat.

Contigit aſt aliter, torrenti nãq; propinqua
Talibus uſq; ſui memor, expertiſſimus artis
Bellandi *Ormonius*, ripam præmittit ad amnis
Glandibus armatas, ſcloppiſq; boantibus alas.
Quò ſimul ac ventum, flammati pulveris æt
Nube obſcuratur, tormentorumq; fragore
Concutitur, telluſq; tremit, quà dimicat hoſti
Et paſſim ſubito madefit conſperſa cruore.
Multa etiam hoſtili ſternuntur corpora plumb
Et quamvis capiant longè graviora rebelles
Vulnera; dant aliquot contra, nec prorſus inu
Pulvere truncantur. Creſcente at clade fatiſcu
Attonitiq; pedem referunt. Tum protinus un
Per tumidas raptim tranſcurrunt impete limph
Ormony peditesq;, equiteſque; hoſtẽq; ſequunt
Donec in occultos palantem egere receſſus.
At quos iam nequeunt in prælia cogere, pauc
Poſt horis magnò poſcentes arma tumultu
Conveniunt. Circum tria millia diſtat in arctu

Spure

urca, madēsq; palus *Caterlogh* ab arce: moveret
c cum signa *Comes*, circumcingentibus hostis
ndibus emergēs, hybernæ ad grandinis instar,
ssilium effundit nimbum, fremituq; minanti
vocat arma: illi miro fervore pedestris
spondet *Butlera* cohors: equitantia nil hic
gmina namq; iuvant: alto vix promere cæno
adrupedes possunt vacuos. Asperrima verùm
gna inter pedites, per tres aut circiter horas
ntinuat, multiq; neci traduntur utrinq;.
t veluti, quanivis Taurus certare Leoni
udeat, infractoq; diu cum robore sævis
entibus obsistat, tandem discedit arena
ictus, vel moriens animam in certamine fundit.
c validis postquam pugnârunt viribus hostes
um duce *Butlero*, fuli dant terga, & opacas
ræcipiti gaudent cursu contingere sylvas.
Audijt incerto pugnas rumore senatus
las, & *Maribori* vallum *Butlera* cibasse
gmina, at haud credit: non utpote posse putârat
d fieri. Primus constringitur ergo cathenis,
Nuncius æratis, donec certissima ab ipso
enerat *Ormonio* ductore relatio rerum.
Bingamus hic tantum quia desperavit honorem
invidiæ fertur stimulis effossus, & ira
Extremum clausisse diem, vitamq; dedisse.
Bingame: quid luctu moreris? si fata morari
Paulisper posses, duri certamina *Martis*

Morea

Morea cum gente tibi miscere liceret.
Nondum cessit hyems, cum dira penuria rursi
Mariborum affligit, collecto et robore in unu
Cum *Toholis, Brenni, Kevans. Conorią, Morią*
Innumeriq; alij vallum obsidione rebelles
Oppugnare parant, miseroq; admittere nullu
Præsidio auxilium minitantur. At inclitus arm
Ormonius, quem nulla unquam fregrere pericl
Quiq; minis animum didicit demittere nullis,
Mariboro laturus opem, movet ocius arma.

Vt ventum ad *Srobile* præterlabentia castru
Flumina, bis senis distantia millibus, austrum
Versus, *Mariboro*, minitanti occurritur hosti,
Asperaq; inflatis iunguntur prælia lituis.

Sed licet alterno cediderunt vulnere multa
Corpora utrinq; : fugam graviori strage rebell
Accepta capiunt. Reparato at luce sequenti
Pectore, ferventes *Monro* petiere, paludem
Immensam quatuor bis millibus arce remotam.
Hic coacervato licet altæ e cespite sepes
Erectæ, & pleno spumantes gurgite fossæ
Hostibus auxilio fuerint, multoq; iuventæ
Butlere damno, magnum tamen accipit hostis
Funus, & in cæcas palans compellitur umbras,
Per quas occulto raptim fert tramite signa
Sradbaliam versus, inopino ubi turbine pubem
Ormoniam invadit, pugnamq; impellit in aspram:
Quam tamen ingenti trepidus mox deserit ipse

Cæde

de cruentatus: ſed ceu quem ſæpius acres
lantum a ſtabulis læſum pepulere moloſſi
orſibus armatis, tamen haud deſiſtit ovile
feſtare lupus, lethali vulnere donec
ucius extremos halitus expirat, obitq;:
c a *Maribori* redeuntibus arce maniplis
rmonij, acceptis non docti cladibus, hoſtes
rma ad *Sradbaliam* rurſus *Rubramq́*, paludem *Mare.
bvia mouerunt, pugnaſq; intrare furentes,
n quibus extremam perpeſſi pœne ruinam.
t primum in *Leſia Tiperarius* omine ductor
æc fauſto abſolvit, flammis ultricibus omnes
Montgarret populatur agros, èq; arcibus eius
allinam expugnat, veniamq; precarier ipſum,
Collaq; compellit tandem ſubmittere ſceptris.
Bruma bis, & toties poſthæc perlabitur æſtas,
ata ubi virtuti Hybernoq; aſperrima regno,
Ormonium privâre oculis. Hic mæſta tonantem
Nata petit *virtus*, lachrymiſq; ita fatur obortis:
O Pater Omnipotens, cœli iuſtiſſime rector,
Terrarumq;, meus ſceleris quid tutor & altor
In te commiſit *Satrapas Ormonius*, aut quid
Ipſa mali merui? noſtras heu amplius artes
Vt ſolitus noſter non exercebit alumnus?
O pater, aut terris ablatum tollere ad aſtra,
Quo dignus, dignare virum, vel lumina rurſus
Reſtituantur ei: Solatur *Inpiter* almam
His natam dictis: mea dilectiſſima proles,

Maximus

Maximus ille Heros. Conſcendet ſydera tand
Cœlicolûmq; domos : ſed terris luſtra manet
Pæne tria, & quanquam dextra exercere labo
Non poterit ſolitos, *Hyberni* erit anchora reg
Conſilijs fera bella domans, pacemq; guberna
Sunt rata dicta *Iouis*: vix ſunt tria luſtra pera
Cum lux atra nimis, nimiumq; aſperrima *Ier*
Eſt exorta, *Heros* qua terris cedere iuſſus
Divorumq; polo fœlices quærere cætus.

FINIS.

IN OBITVM

Illustrissimi Herois ac Domini, D. THOMÆ BVTLERI, *Ormoniæ & Ossoriæ* Comitis, Viscomitis de *Thurles*, Baronis de *Arckloe*, Comitatus Palatini *Tiperariæ* Domini, regni *Hyberniæ* Archithesaurarij, *Illustrissimi periscelidos ordinis*, & Regis in *Hybernia* sacrioribus à Consilijs Epicedion DERMITII MEARA.

VIsa diu fœlix : sic nulla potentia longa :
Heu quam non fœlix reddita Ierne modo ?
Fœlix illa nimis, Mavortis *fulmine* Thoma
Ormoniæ Satrapa *dum frueretur, erat.*
Infœlix ast illa nimis iam, Martius *ense*
Fatorum post quam corruit ille Comes.
Cum Sol supposita privari lumine luna
Apparet, spondet tristia mille solo.
Nunc intemperiem cœli, pestemq́, famemq́,
Vincula nunc regum, funera, bella, faces.
Exanimis si tot brevis obscuratio stellæ
Tristia portendit significatq́, mala :

Tectus

Tellus ab Hybernis divinus nube perenni
Hic sol spondet eis qualia, quanta mala?
Cœli intemperiem si non, pestemq́, famemq́;
At saltem metuant funera, bella, faces.
Ille parens patriæ fuerat, quo sospite, sospes
Patria ab hostili, viq́, doloq́, foret.
Heu patriam quoties e fati faucibus ipsis
Eripuit? patriam nunc nimis heu miseram.
Nunc nimis heu misera est, tanto priuata parente
Patria, tam valido, tam sapiente, pio.
Pergama *ut Argolica spernebant robora pubis,*
Dum sinerent illos Hectore *fata frui.*
Ast ubi ter circum Troianos Hectora *muros*
Traxit Achilleus *triste cadaver equus:*
Pergameæ *frangi vires capere, retroq́,*
Res Troum *lapsæ;* Troiaq; *capta dein.*
Iam pariter senas decies Hybernia *brumas*
Motibus innumeris exagitata licet:
Corruere haud potuit: motus deviverat omnes:
Floruerat q́, magis, quo est agitata magis
Quippe erat Ormonij *valida protecta* Dinastæ
Et dextra, & ferro, consiliisq́, sacris.
Si quis at armorum iam, bellorumq́, tumultus,
Inter & Hybernos *concitus horror erit,*
Orba quid assueto nimis infaustissima tellus
Auxilio faciet? cuius opemve petet?
Non est cuius opem poscat: non, culmine ab alto
Quin belli flammis, funeribusq́, ruat.

Non eſt cuius opem poſcat miſerabilis: aſt eſt
Ne belli flammis, funeribuſve ruat.
Illa poteſt, debetq́, malis circundata tantis,
Luctibus indomitis maſta perire ſuis.
Illa lubens pereat, peritura invita, ſacrisq́
Manibus Herois ſe pia liba ferat.
At prius in ſævas effundat iurgia Parcas:
Exagitet diris numina dira polos.
Aut ſi non fas eſt armata ladere lingua
Parcas; *nec diris exagitare polos:*
Hoſpite ſe tanto indignam cognoſcat Ierne,
Et quod ſe dignas quæſyt ille domos.
Dignus in æthereis requieſcere ſedibus ille:
Inter cœleſtes dignus & eſſe choros.
Huc illi inſignis, memori quam ſubtrahet ævo
Nulla dies, pietas, advolitare dedit.
Huc amor in patriam, pro cuius ſæpe ſalute
Mille tulit caſus, advolitare dedit.
Huc ſincera fides, mira & reverentia, ſacros
Qua coluit faſces, advolitare dedit.
Huc illum niveis clementia vexerat alis:
Quaq́ inopes crebro iuverat alma manus.
Fœlix in terris qui ſic traduxerat ævum,
Ut moriens cœlos advolitare queat.
Terra illa infœlix, quam, cuius vita peracta
Defunctō ad ſuperos eſt via, deſeruit.

Aliud Anagrammaticon, & Acroſticon.

Thomas Ormonius.
Os oſtra hominum.

O *Sſe carens animal magis admirabile monſtrũ*
Quã fera, quæ flammas ore inhiante vomi
S *cilicet e ſolis corpũs capit oſſibus omnem*
Ornatum: informe eſt, quod caret oſſe, mirac
O *s Satrapas hominum merito* Tiperarius *ergo*
Dicendus: terris æthere miſſus hom
S *anctus homo terris cœlo demiſſus ab alto,*
Qui decus, & fuerat robur Ierne *tuu*

T *urpibus aut aſpris fuerint ſi condita ſaxis*
Tecta, apparerent, quò gratiora, ſu
R *egali lapides circumtegit aulicus oſtro:*
Dant quippe eximium mœnibus oſtra decu
A *ulæis quantum decorantur mœnia,* Thomas
Hyberno Ormonius *gloria tanta ſol*
H *orror erat belli: pacis protector & altor:*
Spes inopum: vera nobilitatis hono
O *ſtra hominum potuit, flos & pulcherrimus ergo*
Dicitur

Cronologicum.

Dicier, & ſummum lumen Ierne *tuu* M.
ors at Ierne *tuum tibi florem, lumen, & oſtrũ*
Eripuit, magno vulnere ſæva tu O.
lle licet terris deceſſit mortuus, alta
Inter cœlicolas vivit in arce tame N:
ulla illi attulerat hoc ergo incommoda lethum:
Damna ſed attulerat plurima Ierne *tib* I.
ivit ſydereo circundatus ille ſenatu:
Quam vixit, vivit iam meliore ſtat V.
ors ille fœlix, infœlix eius Iernæ:
Ille polos petyt: perdidit illa decu S.

Aliud Cronologicum.

PHœbus *ubi a prima complevit origine mundi*
Mille, & ſexcentos annos, quatuorq́, novemq́,
Iamq́ diurna dies illum Iovis *aula teneret*
Cum quinis, ſenos, Hybernis *atra, nefanda*
Lux oritur, regni qua flos, ſpes, gloria, Thomas
Ormoniæ *moritur Satrapas, & deſerit orbem.*

FINIS.

BRITISH M

DEPARTMENT PRINTED

CATALOGUE 1213.g.14.

AUTHOR DERMITIUS DE

TITLE ORMONIUS:

PLACE & DATE OF ORIGIN LONI

INCHES 1 2

British Museum Photogra

D567445 10,000 11/68 GP775 OXP.

MUSEUM

'D BOOKS.

ORDER 702532.

DE MEARA.

ONDON, 1615.

1 | 2 | 3 | 4 | 5 | CENTIMETRES

ographic Service, London